



Fr. 68


coll. Pa 2 Tea D 10386


85 Bce


m. 87 Bce.

















E
T
ia
Re
Lu
ti

IM



ENARRA=

TIO 53. CAPITIS ESA=

iae prophetæ ex prælectionibus

Reuerendi patris D. Martini

Lutheri, summa fide & diligen=

tia collecta per M. Georgium

Rorarium, anno 1544. & nūc

(hoc 1550, anno) primum in

lucem ædita.

IMPRESSVM MAGDE=

burgi per Michaellem

Lottherum.

1550

ENARRA
TIO 23. CAPITULI
de prophecia ex tractationibus
Kerardi pape D. Martini
L. Alberti humani sibi & digni
tractatus per M. Georgium
Kerardum anno 1244 & 1245
(hoc 1245 anno) p. 111 in
libro 1245

[Blank paper strip]



94A9247

Mu

02 2 1

5



STEPHANVS TVCHE
rus Christiano lectori ueram
constantiam in confessione
agnitæ ueritatis .

SAEPE cogitans ac perpendens apud
Sanimum summa ac maxima bene-
ficia, quæ misericors ac benignus
Deus, pater Domini nostri Iesu Christi
per electum illud organum suum, reue-
rendum patrem D. Marti. Lutherum
toti terrarum orbi restituta luce Euan-
gelij præstitit, simulq; considerans me-
cum, quam mirabiliter eundem fidelis-
simum seruum suum, aduersus extre-
mos mundi, ac Sathanæ furores rexit
& defenderit, sæpeq; eum ex præsentis-
simis uitæ periculis eripuerit, partim in-
dignans detestor maliciam atq; cœcita-
tem, ne quid dicam durius, partim eti-
am deploro summam, ac Christianis
hominibus indignissimam, & multis
modis detestandam ingratitude[m]
nostram. Nam nos hanc ingentem &
ineffabilem Dei optimi Maximi benefi-
centiam, ac immensam charitatem erga

nos non solum non agnoscimus, grata
ac pia commemoratione prædicantes,
eiq; per CHRISTUM gratias semper agi-
mus. Sed etiam nulla magna necessitate
coacti, tantum metu quodam, & spe
incertæ pacis abijcimus, & tantum non
pedibus etiam proculcamus.

Reuocemus quæso in memoriam,
quæ & quam horribilis fuerit per tot
retro sæcula in rebus, ad æternam salu-
rem animarum spectantibus, ignoran-
tia, superstitio & cœcitas, quantæq; in
mortalium animis tenebræ, tum incipi-
emus (nisi prorsus faxei erimus) ingen-
tem ac paternam æterni patris, DOMINI
& unici saluatoris nostri Iesu CHRISTI
bonitatem & clementiam exosculari &
admirari, quod nobis nec opinantibus,
nec merentibus (quid enim nos miseri,
& impietate perditii homunciones me-
reremur?) excitato D. Luthero, eiusq;
mente Spiritu Sancto suo illustrata cla-
rissimam Euangelij sui lucem, quasi so-
lem terris ablatum, nobis reddidit.

Quis enim sanæ mentis nescit, aut
negare potest, quanta tot retro seculis
ueræ,

ueræ, & ad salutem æternam necessariæ
doctrinæ corruptio inuecta in Ecclesi-
am Dei, per eos maxime fuerit, qui præ-
cipui, & catholici ac Orthodoxi Eccle-
siæ Christi doctores esse ac perhiberi uo-
luerunt, quique summam in Ecclesia
potestatem sibi arrogarunt. Deniq; qui
columnæ καὶ στῆλῆες τῆς ἀληθείας habiti
sunt, adeo quidem, ut eo tandem homi-
nes cœci dementiæ & impietatis prolap-
si sint, ut in habitu Franciscano, quod
horribile est auditu, morientes omnem
fiduciam & spem salutis ac uitæ æternæ
collocarint, eoq; induto sepulti sint. At-
q; ita pro CHRISTO unico redemptore
μεσίτη καὶ ἀρχιερεῖ humani generis elege-
runt homines mortuos mediatores & in-
tercessores. In summa Christum filium
DEI unigenitum, per quem solum a
peccato, morte, & potestate Diaboli li-
berati sumus, quantum in ipsis fuit se-
pelierint, eiusq; beneficia pedibus con-
culcarint. Nam non in Christi nomi-
ne pœnitentiam & remissionem pecca-
torum, iuxta Dei patris, & Filij, Domi-
ni nostri Iesu Christi mandatum prædi-
cauerunt, sed potius in nomine S. Fran-
cisci

cisci, Benedicti, & aliorum sanctorum
multorum, de quibus dubitari posset,
an unquam fuerint. Taceo hic, prolixita-
tis uitandæ gratia, reliquas horribiles
idolomanias, quibus dediti homines
salutaris doctrinæ Euangelij ignari fue-
runt, in ijsq; omnem pietatem, & uerum
Dei cultum posuerunt, Rosaria nimi-
rum uirginis, superstitiosum cultum ac
inuocationem Sanctorum uita defun-
ctorum, preces Brigittæ, Baptiza-
tionem campanarum, ad quam adhi-
beri soliti sunt 200 susceptores, aspersi-
onem aquæ lustralis, ad delenda peccata
salem consecratum, ad fugandum dæ-
monem, peregrinationē ad tam uaria ac
propemodū infinita loca & statuas, Iu-
bilæum, indulgentias papales, crucem
rubram cum insignibus pontificijs, in
medio templo positam, multiplicem
uarietatem Missarum, quarum alia cele-
brabatur pro peregrinantibus, alia pro
nauigantibus, alia pro febricitantibus,
alia pro parturientibus. Habebatur etiā
aliqua, nisi me animus fallit, de spinea
corona Christi, de tribus clauis, de præ-
putio Christi, oscula pedum sanctorum,
pallij

passij redemptionem, fraternitates Monachorum, incertarum reliquiarum uenerationem, ut sunt, præputium Christi, Iosephi caligæ, calceus S. Thomæ, subligaculum Francisci. Horret animus alia quæ restant infinita, recensere.

Vnum hoc addam, quod non sine maxima impietate & contumelia, atque adeo proculcatione sanguinis filij DEI, Domini nostri Iesu Christi impia & ficticia opera sua Monachatus, Baptismo æquiparare ausi sunt. Doctores enim eorum æditis libris in publicum, impudentissime, scelerate ac impie pronunciant, ac asserunt, quod cucullam induere, aut Monasticæ uitæ professionem suscipere, idem sit, quod iam iam Baptismo initiatum esse, aut quod is, qui se in Monasterium abdidit, tam ab omni labe peccatorum mundus sit, ac si recens lauacro Baptismi immerfus esset.

Quid contumeliosius contra Filium DEI DOMINUM nostrum Iesum Christum, qui nos miseros, & æternæ damnationi ac morti obnoxios, proprio sanguine suo, a peccato, morte, & diabolo

✠

4

redemit

redemit, doceri aut dici potest: An non hæc extreme impia doctrina ac Romani Antichristi foedissima, ac multis modis execrandissima abominatio est: quod homines a Christi merito in nostrorum operum admirationem auocauit & traduxit, imo ut inde abstraxit, nostraque opera in Christi, ac ipsius Baptismi locum subrogarunt, ac baptismum nostrum tanquam inefficacem, ac irritum factum, aboleuerunt, ut nulli ferre cognitionem Christi retinuerint, aut uerum usum, ac dignitatem Baptismi intellexerint, nisi quos Deus mirabiliter ac singulari quodam beneficio ab illius pestiferæ doctrinæ contagio seruauit.

Huc adde inenarrabilem carnificinam miserarum & peccato ac ira Dei perterrefactarum conscientiarum, quæ non dici potest, quantos cruciatus & angores pertulerint, quibus multæ etiam sæpe succubuerunt, ac ad desperationem de salute sua adactæ sunt. Nam nullam consolationem ueram ex uerbo DEI petitam, qua acquiescere & erigere sese, contra peccati, mortis, diaboli, ac inferni

ter

terrores potuissent, habuerunt. Non enim didicerant, nec unde discerēt erat, Fide in talibus angoribus apprehendendum esse Filium Dei, Dominum nostrū Iesum Christum crucifixum, mortuum & resuscitatum unicum propiciatorem, aduocatum, Iustitiam, sanctificationem ac redemptionem nostram, cuius gratuita misericordia niterentur ac confiderent, ac certe statuerent Deum æternum patrem in cœlis eius morte placatum, peccatum abolitum, mortem deuictam, Diabolum prostratum, infernum superatum esse.

Quin potius a Christi meritis, morte ac resurrectione, per quæ nobis salus æterna parta est, ad humanorum operum & quidem commenticiorum merita abducti sunt miseri, unde tot & tam uariæ uiaæ uitam æternam consequendi inuentæ ac monstratæ sunt, nimirum Rosaria, cucullus, sacrificium Missæ pro uiuis & mortuis, intercessiones sanctorum mortuorum, Ordines monastici, fraternitates, opera supererogationis, Indulgentiæ, & quis enumerarit, omnia, quibus a Diabolo fascinati & demen-

tati homines sub papatu, uitam æternam & cœlum sibi, & alijs polliceri ausi sunt, neglecto prorsus Christo, qui solus est uia, ueritas & uita.

Huc refer & illud de pontificis Romani (Antichristi) summa utriusq; gladij potestate in gerendis bellis, regibus & principibus potestati suæ subijcendis scindendis fœderibus, soluenda iurisiurandi religione, in dispensando etiam contra Apostolos & Euangelistas, **Causa 25. Quæsti. 1.**

Hæc ergo & alia innumerabilia, quæ non operæ precium est enumerare, satis testantur, quantis humanarum traditionum sordibus contaminata & oppressa penitus Doctrina Euangelij, de Christi morte & meritis, atq; gratuita peccatorum remissione fuerit, quanque *ὁὐδὲν ὑγίει* in tota papistica doctrina, reliquum manserit.

Nunc uero pie lector uide quanta lux ueræ & salutiferæ doctrinæ Euangelij, dispulsis plus quam Cimmerijs tenebris humanarum inuentionū & commentorum, quibus circumfusa latebat, singulari Dei beneficio per D. M. Lutherum

therum, qui non dubium est, quin di-
uinitus ad hoc uocatus & excitatus fue-
rit, restituta sit. Nam ex hac doctrina
repurgata & restaurata per D. Lutherum
tum alia pulcherrima, quæ ignorata
prorsus superioribus sæculis, & tanquam
in profundo puteo demersa fuerunt,
tum hæc didicimus, ut sciamus nunc,
Dei gratia, quid sit Euangelium, pecca-
tum, gratia, pœnitentia, timor Dei,
uera nominis Dei inuocatio, discrimen
legis & Euangelij, rectus usus cæremoni-
arum, Fides in Christum, Remissio pec-
catorum, libertas Christiana, dona &
effectus Spiritus Sancti, liberum arbitri-
um, Spes, charitas, crux, Baptismus, Ec-
clesia, Eucharistia, bona opera, officium
episcopi, Magistratus ciuilis, coniugum,
parentum, liberorum, dominorum, ser-
uorum, uerus cultus DEI, uerus ac legit-
timus usus Sacramentorum, Psalmorū.
Item, quomodo pie & recte educari ac
institui iuuentus debeat, uisitandi infir-
mi, quomodo morientes consolandi,
Item quomodo utiliter cani psalmi pos-
sint.

Breuiter iam per D. Mart. Luth. ex
immensa

immensa benignitate & misericordia
Deus, pater omnis consolationis ueram
& necessariam Doctrinam Euangelij,
quæ olim Tyrannide Antichristi op-
pressa & propemodum extincta ignora-
batur, his postremis & luctuosissimis
temporibus restituit. Quæ nos copiose
erudit de omnibus, quæ ad uitam æter-
nam pertinent. Ac nunc habent aliquid
certi & firmi ex diuinis promissionibus
conscientiæ anxietatis & luctantes cum pec-
cato ac morte, quo se sustentare in extre-
mo agone queant, & certæ esse de remis-
sione peccatorum, & propitio ac pla-
cato DEO in cœlis, per Dominum no-
strum Iesum Christum, quem Deus pro-
posuit nobis, mediante ipsius sanguine,
propitiatorem, & ut Ioannes loquitur,
ἵλασμον pro peccatis nostris, nō nostris
autem solum, sed & totius mundi. Hunc
enim iubentur in agone mortis consti-
tuti peccatores intueri, ac in ipsum to-
tos sese reijcere & credere certo propter
hunc & peccata condonata, seq; in gra-
tiam receptos & filios ac hæredes æter-
næ uitæ factos, Ioannis 1. Hæc in-
quam est unica & firma cōsolatio affli-
ctæ

ætæ conscientia cum in alijs externis uitæ
periculis, tum uero in ultimo agone
mortis non dubitare, quin propter fili-
um recipiamur in gratiam Dei patris.

Hinc nunc scimus Christianam ui-
tam non consistere in externis quibus-
dam ritibus, atq; adeo in cultibus ab
hominibus inuentis, in uestibus, ieiu-
nijs, chameunijs, regulis, uita Monastica
discrimine ciborum, sicut Monachi im-
pie docuerunt, inq; his & similibus nu-
gis summam ueræ pietatis, ac Christia-
nismi posuerunt. Sed in fide uera erga
Christum, & Charitate proximi, in in-
uocatione, item patientia, uero timore
Dei, gratiarum actione, spe certa auxiliij
diuini in quibuscunq; uitæ periculis, dif-
ficultatibus ac ærumnis.

Hinc scimus unumquemq; posse &
debere in sua uocatione pie Deo seruire,
& salutem æternam consequi, ut non
necesse sit peculiare, sine mandato DEI,
uitæ institutum eligere colendi DEVM
causa, sicut Monachi fecerunt, qui suas
ἐθελουθησικίας aliorum officijs, in uoca-
tione sua ambulantium, prætulerunt
Monia.

Monialis aliqua suum uitæ institutum
sanctius esse, Deoq; magis placere putat,
quam alicuius honestæ matronæ con-
iugis. Impij sacrificuli propter horas
canonicas, prophanis, ut uocant, longe
se anteferunt.

Hæc ergo beneficia grata mente ac-
cipere, ac commemorare debemus, ut
nos & alios excitemus ad gratitudinem
erga filium Dei Dominum nostrum Ie-
sum Christum, & ardentissimis uotis
precemur Deum, per Christum DOMI-
num, ut hanc saluificam Euangelij do-
ctrinam, hac extrema & senescente mun-
di ætate in clarissimam lucem prolatam
& ab omnibus sordibus pōtificū, Mona-
chorū & Sophistarū repurgatā, clemēter
conseruet, nosq;, ut Christus Ioannis 17.
precatur, in ueritate sua sanctificet.

Atq; utinam proponeremus nobis
imitandum exemplum D. Lutheri, qui
hæc doctrinā primū multis sudoribus re-
stauratam, contra Sathanæ & inferorū
principatus, etiam cum discrimine uitæ
strenue defēdit, ac usq; ad ultimū hali-
tū cōstati fide confessus est. Nō inclina-
uit

uit se ad potentum uoluntates, sed sicut
immota rupes stetit ad mare rubrum,
certa spe auxiliij diuini corroboratus. Nō
passus est se minis Tyrannorum a san-
ctissimo proposito dimoueri, aut mol-
liri, ut Sathanæ cederet. Imo potius
quo hostes ferociebant & sæuiebant ma-
gis, eo ipse alacrius in sua uocatione
perrexit, insaniens omnibus Diabo-
lis & pontificibus. Ac ostendit DEVS
etiam sua præsentia sæpe, se actiones D.
Lutheri contra papatum probare, cum
tam miraculose eum in medijs periculis
protexit, & tam diu quidem donec cur-
sum suum foelicissime absoluit.

Sed quid nos iam facimus? Non
tanta non amplectimur grato pectore
hanc tantum DEI gratiam & munifi-
centiam erga nos, sed etiam turpiter ab-
ijcimus, & tantum non hostibus DEI
deridendam propinamus. Inflecti-
mus doctrinam ad potentum, & hosti-
um Dei uoluntatem, ac ita quantum in
nobis est, Ecclesias Christi ueritate Euā-
gelij penitus priuamus. Quod omni-
no fit res, ut, est diligentius expendatur
dum

dum nostri Adiaphoristæ in gratiam
hostium CHR. Iſti, & ut ne porcos suos
porci amittant, mutationes partim ipsi
instituunt, partim alijs suadent, quod ip-
sorum scripta & actiones testantur. Nec
est quod uociferentur, se retinere eandē
doctrinam adhuc, quam uinente Lu-
thero habuerūt. Nam iam dudum eam,
eo ipso, quod aduersarijs tam multa cū
uerbo Dei pugnantia largiuntur, amise-
runt. Imo ipsi doctrinam Euangelij in
tot suis INTERIM deprauant atq̃
ita eo, quo consultum Ecclesijs maxime
cupiunt, funditus eas euertunt, & scele-
rate miseras ouiculas rapacibus lupis la-
cerandas & deuorandas præbent.

In scripto Begensi expressis uerbis
dicunt, nolle se pugnare de uoce (Sola)
quo præcipuum articulum nostræ reli-
gionis ad hostium palatum accommo-
dant & Ecclesias perdunt. Nam hic
solus articulus, ut D. M. Lut. sanctæ
memoriæ alicubi scribit, Ecclesiam Dei
gignit, nutrit, ædificat, seruat & defen-
dit, ac sine eo Ecclesia Dei non potest
una hora subsistere. Deinde subiiciunt
Ecc

Ecclesias Antichristo Romano, eiusq[ue]
satellitibus impijs episcopis, ac manife-
stis persecutoribus Euāgelij Iesu Chri-
sti, dum lupis illis regimen super mise-
ras Christi ouiculas tradunt. Postre-
mo & doctrinas dæmoniorum in Ec-
clesias CHRisti reducunt, dum manda-
tum de prohibitione esus carniū suis
quibusdam fucis contectum & pictum
comprobant. Reliqua breuitatis cau-
sa omitto, quæ etiam manifestam im-
pietatem in se habent.

Non autem dubium est, quin Deus
sit hanc tantam ingratitude[m] & im-
pietatem horribilibus pœnis uindica-
turus. Nunquam enim ullo tempore
cōtemptum uerbi sui impunitum fuit,
sicut multa exempla, præcipue uero san-
ctæ urbis Ierosolymæ miserabilis deua-
statio, testantur. Et quo maiora be-
neficia sunt, quæ Deus nobis exhibuit,
eo pœnæ maiores erunt. Quapropter
quibus adhuc æterna salus animarū sua-
rum, & gloria Dei curæ est, ij serio co-
gitent de pœnitentia & emendatione
uitæ, ac eo omnem laborem, studium &
curam conferant ut hanc Doctrinam,

A

quam

quam a D. Luthero accepimus, & ipsis-
simam ueritatem DEi esse certi sumus,
retineamus & conseruemus, atq; depo-
situm, quod nobis uir Dei D. Martinus
Lutherus reliquit, fideliter custodiamus.
Quod fiet, si fidem nostram assidua sa-
crarum literarum lectione ac tractatio-
ne exercebimus, & eam cōstantiam, quæ
Christianis hominibus digna est, in cō-
fitēdo agnitam ueritatem præstabimus.
Deniq; si parati erimus DOMINO Iesu
non tantum uestes, sed & corpora no-
stra, ubi necessitas postulauerit, subster-
nere, hoc est, cœlestem ueritatem sāgui-
ne nostro obsignare. Non enim ceden-
do hostibus, more Adiaphoristarum,
aut aucupando fauorem potentum, aut
accipiendo munera ab Herodianis &
Absolonis ueritatem retinebimus. Sed
constanter & fortiter contradicendo
aduersarijs, confitendo & propugnā-
do ueritatem Euangelij usq; ad necem,
sicut Apostoli & Sancti DEI Martyres
fecerunt. Testantur ueterum Romano-
rum & græcorum historiæ quanta con-
stantia & magnitudine animi pro liber-
tate & defensione patriæ sæpe pugna-
tum

tum sit adeo, ut multi etiam mortem
oppetere, et Deum deuouere sese pro patri-
a non dubitarint. Quanto magis nos,
qui Christiani esse uolumus, pro nostra
coelesti ueritate, & aeterna patria omnia
quae nobis in hoc mundo charissima
sunt, relinquere, & extrema quaeque perpe-
ti deberemus, ut ueritatem CHRISTI non
amittamus. Atque habemus in ea re illu-
stria exempla prophetarum, apostolorum,
& tot millium Martyrum, qui ut ne uera
& aeterna patria carendum ipsis esset,
omnia huius saeculi magno cum gaudio
deseruerunt, & uitam insuper suam pro-
fundere pro gloria Christi non sunt ue-
riti. Horum exempla imitanda nobis
ob oculos proponere deberemus, & alter
alterum inuitare & excitare ad constan-
tiam in uera Religione. Nam profe-
cto frustra somniamus, posse nos Chri-
stum praedicare, ac nomen eius confiteri
sine persecutione & offensione sum-
morum. Non est, inquit filius Dei, dis-
cipulus super Magistrum. Si me perse-
quuti sunt, & uos persequentur. Et Paulus
ait, omnes qui uolunt pie uiuere in Chri-
sto Iesu, persecutionem patientur. Ideo
oportet

oportet nos, ut sacra historia refert,
more Israelitarum, cum ex captiuitate
restituti, ciuitatem, extruerent, ita ac-
cinctos & instructos esse ad praelium, ut
altera manu gladium teneamus, alte-
ra trullam uersemus, Hoc est, ut pugnan-
do & resistendo, hostibus propugne-
mus & propagemus Doctrinam Euan-
gelij Iesu CHRISTI. Ad hoc autem cum
multum conferat pia, & ex sacris literis
desumpta interpretatio sacrae scripturae,
En pie lector damus tibi doctissimam
& pijsimam enarrationem 53. Capitis
Esaiae, Reuerendi patris ac praecceptoris
nostri D. Martini Lutheri, quae a uiris
integris, & uerae pietatis summis cultoribus
ex ipsius Sancti patris ore, summa
fide & diligentia excepta est. Hoc ergo
ta sancto & pio labore foeliciter frueri,
ac in CHRISTO Iesu Domino ac
saluatore nostro bene ua-
le, Mese Ianuario,
Anno 1550.

ESAI AE

CAP. LIII.

ECce intelliget seruus meus
exaltabitur, & eleuabitur &
sublimis erit ualde. Sicut obstu-
perunt super te multi, sic inglo-
rius erit inter uiros aspectus eius,
& forma eius inter filios homi-
num. Iste asperget Gentes mul-
tas, super ipsum continebunt Re-
ges os suum, quia quibus non est
narratum de eo, uiderunt, & qui
non audierunt, contemplati sunt.
Quis credidit auditui nostro? &
brachium domini cui reuelatum
est? Et ascendet sicut uirgultum
coram eo, & sicut radix de terra
sitienti, non est species ei, neq; de-
cor, & uidimus eum, & non erat

B

aspe

aspectus, & desiderauimus eum,
Despectum, & nouissimum uiro-
rum, uirum dolorum & scientem
infirmi-
tatem, & quasi abscondi-
tus uultus eius & despectus, unde
nec reputauimus eum. Vere lan-
guores nostros ipse tulit, & dolo-
res nostros ipse portauit, & nos
putauimus eum quasi leprosum,
& percussum a Deo & humili-
tum. Ipse autem uulneratus est
propter iniquitates nostras, attri-
tus est propter scelera nostra, dis-
ciplina pacis nostræ super eum,
& liuore eius sanati sumus. Om-
nes nos quasi oues errauimus,
unusquisque in uiam suam declina-
uit, & posuit Dominus in eo ini-
quitate[m] omnium nostrum. Ob-
latus est quia ipse uoluit, & non
aperuit

aperuit os suum, sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se, obmutescet, & non aperiet os suum. De angustia & de iudicio sublatus est, generationem eius quis enarrabit? quia abscisus est de terra uiuentium, propter scelus populi mei percussit eum. Et dabit impios pro sepultura, & diuitem pro morte sua, eo quod iniquitatem non fecerit, ne que dolus fuerit in ore eius. Et Dominus uoluit contere eum in infirmitate, si posuerit pro peccato animam suam, uibeat semen longæuum, & uoluntas domini in manu eius dirigetur. Pro eo quod laborauit anima eius uidebit & saturabitur, in scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus

B ij us mul

os multos, & iniquitates eorum
ipse portauit. Ideo dispertiam ei
plurimos, & fortium diuidet spo-
lia, pro eo quod tradidit in mor-
tem animam suam, & cum scele-
ratis reputatus est, & ipse pec-
cata multorum tulit, & pro
transgressoribus
rogauit.

PRAEFATIO.

LAudemus Deum & Dominum nostrum Iesum Christum dum licet, & tempus habemus ac possumus. Mundus enim plane contrarium facit plenissimus blasphemis, & horribilibus scandalis, atq; abnegationibus saluatoris nostri, ita ut Christus sit scandalosissimum fidei nostrae obiectum. Ideo est & manet in abscondita & deformi specie sua, ut inquit propheta. Fides igitur assidua sacrarum literarum tractatione, & pia meditatione alenda & confirmanda est, ut illud brachium Domini non amittamus nec deseramus. Quia in ipso omnis nostra salus posita est. Cur autem Papa, Turcae & Iudei non credant in Christum, id relinquamus arcano consilio Dei. Nos uero ex toto pectore Deo gratias agamus, quod nos uocauit ad hanc lucem ueritatis & Euangelij.

Constitui autem caput quinquagesimum tertium hoc tempore tractare, cum sit praecipue deputatum ad hoc ut recolamus passionem & resurrectionem

nem Christi, ac ei gratias agamus pro in-
enarrabili ipsius dono. Satis mirum est
quod Esaias habuerit tantū lucis, quod
q̄ tam diserte ac proprie potuerit pin-
gere, ac magis proprie etiam quam Euan-
gelistæ mysteria de Christo excepto uno
Paulo qui est organum electum. Alias
fere tota scriptura non habet locum si-
mitem huic quinquagesimo tertio capi-
ti. Esaias uocat Mesiam illum gloriæ
Dominum, brachium Domini, Regem,
Sacerdotem, & tamen miserrimum, ab-
iectissimum hominem, quo non sit quis
quam despectior in toto genere huma-
no, & tamen simul Deum in maiestate
sua adorandum.

Ista præuidet Esaias omnia, & non
dubitat asserere illud brachium Dei alte-
ram esse personam diuinitatis, & ponti-
ficem nostrum, simul uerum hominem,
qui uictima factus satisfecerit pro nostris
peccatis, redemerit nos a Sathanæ potes-
tate, & donauerit uitam æternam. Iste est
articulus fidei & confessionis nostræ
præcipuus, a Paulo copiose tractatus.
His ergo diebus passionis & recordatio-
nis eius uolumus tractare utrunq̄, quod
Christus sit Deus & Homo. Enar.

ENARRATIO CAPITIS ESAIAE

Prophetæ quinquagesimi tertij, per
Reuerendum patrem ac domi-
num D. Martinum
Lutherum.



Notum illud caput 53.
non loquitur de ullo
populo, aut homine,
sed proprie de capite
ipso CHRISTO.
Nam ex consequen-
tia euidenter sequitur quod nos oporteat
conformes fieri imagini capitis nostri.
Quod ergo Propheta loquitur de unica
persona Christi, hoc etiam loquitur ip-
sum brachium Domini, nempe Domi-
nus Iesus, de corpore suo, hoc est, Eccle-
sia. Ipse enim forma est, ad quam oportet
Ecclesiam conformari.

Nec debemus hic uarias sententias
comminisci, omnia sunt ad unicam
hanc personam Christi referenda, Nul-
lus enim nec Angelus nec Homo est, qui

uere dici possit brachium Domini, & de
quo ea dici possunt, quæ hic Propheta
uaticinatur de Christo, ut cum dicit:
uulneratus est propter iniquitates no-
stras. Item, Cuius liuore sanati sumus.
Nec de Propheta ipso dici possunt. Ideo
brachium Domini est unicus & solus
naturalis filius Dei, Dominus noster Je-
sus Christus adorandus uera substantiali
& essentiali diuinitate cum Deo patre in-
æternum. Primum pingit qualis sit
futurus in ministerio, & quid facturus sit
in genere.

Ecce seruus meus intelliget.

ID est, Messias hic futurus est seruus
Dei Patris, seu ut Græci uerterunt,
παῖς. Ebed Ebraice aliquando pu-
er, aliquando seruus appellatur. Sic
de Dauide Psal: 18. Psalmus Da-
uidi seruo uel puero Dei. Illa seruitus
autem non est peccati, carnis aut corpo-
ris, sed ministerij uerbi, quod Christus
missus est in ministerium uerbi. Vnde
Paulus eum appellat ministrum circum-
cisionis, hoc est, Prædicatorem, Docto-
rem populi Iudaici, cui missus est, ut an-
tea pro-

tea promissus erat. Sed Iudæi non expectant talem seruum, ministrum seu Doctorem, qui regnet sine armis, opibus, potentia, gladio, pompa carnali, ideo hunc locum non interpretantur de filio Dei, seu brachio Domini Messia, sed de ipsis iam oppressis per Romanos, perditis & traditis in captiuitatem Romanam, hocq; faciunt horribili blasphemiam, nulloq; in loco magis ac stultius delirant quam in hoc 53. capite.

Verum Christus est & dicitur seruus Dei, ideoq; missus est a Patre, suscepit functionem seruilem, id est, ministerialem in uerbo, ut doceret & regeret solo uerbo Dei electos filios Dei credentes, cui tamen Deus addit semper signa, ita ut sit signum uerbi non Philosophiæ rationalis, non sapientiæ, non potentiæ, non armorum, sed seruitus & ministerium ad ministrandum per Christum, cui domino datum est uerbum ex uoluntate diuina, quod neq; Philosophia, neq; politica, neq; œconomia (in quantum tales sunt) habet. Solus Filius Dei habet in Ecclesia sua. Ideo incipit statim seipsum declarare quid uoluerit cum dixit

capite præcedenti 52. Surge induere fortitudinem tua, quasi dicat, uolo dicere de seruo unico, cui nullus alius similis comparandus, est enim Dominus gloriae & brachium Domini, & tamen ille idem erit seruus, hoc est, dicam de Doctore, concionatore, qui seruiet Deo in ministerio prædicationis uerbi, illud a me missum audietis, *Er wirdt mein prediger vnd Bischoff sein* / quem misi cum uerbo & ministerio, ut prædicet, colligat, gubernet, ac regat Ecclesiam, non armis, non gladio, nõ uiribus ullis.

Et intelliget.

Absolute seu substantiue ut illi loquuntur. Ebraice Maskil, id est, Messias meus debet esse intellectus absolute, intelligit, prudenter agit, non bina Velbon, ut Daniel cap. 12. de Antichristo loquitur ad mulieres non intelliget. Propterea Esaias usus est hoc loco Sachal (non bina uel bon) quod significat animaduerrere, curare, obseruare, hoc est proprie, *plug sein* / ut referatur ad ministeriũ uerbi non dicit, Seruus meus armabitur, pugnabit gladio, ostentabit
Philoso.

Philosophiam & sapientiam rationis.
Sed suum regnum erit uerbale, seu do-
ctrinale, non aget in regno suo ullis ar-
mis, neq; carnali sapientia. Sed totum
quod aget id erit intellectus, doctrina,
breuiter ministerium uerbi.

Frustra itaq; expectatis aliud regnum
quod sine uerbo & extra uerbū in sapi-
entia mundi, potentia & armis carnali-
bus positum sit. Tale non erit regnū aut
regni talis forma, sed cum uenerit, ince-
det pauper neglectis rebus corporalibus
quas mundus tāti facit, ac reliquet pom-
pas huius mundi regibus & monarchis.

Huius regis officium erit docere, qui
tradet intelligentiam seu prudentiam,
hoc est, nihil aget sua administratione
nisi prudenter, suū ministeriū erit prudē-
tia, doctrina de uita æterna, quomodo
debeamus consequi remissionē peccato-
rū, liberari a potestate Diaboli, a morte
& ab omnibus malis. *Er wirt mit eitel
weisheit vmbgehen/ vñ wirdt grosse
weisheit dē mēschē vnbeāt fürgebē/ ut
erudiat homies nō p hac uita quomodo
scilicet regi, & qb⁹ præsidij sustētari hæc
uita debeat, quæ iā sūt ordinata Gen: 12.*

Habat

Habet enim hæc uita doctrinas, leges, sapientes, doctos uiros, legum latores, Philosophos, &c. Hanc doctrinam non opus est, ut Christus adferat. Est alius Doctor & magister Christus, Doctor & Præceptor ut Propheta Ioel inquit cap. 2. Dedit te Doctorem & præceptorem in gentibus, id est, erit Doctor iusticiæ, salutis, & uitæ æternæ contra peccatum, mortem, Diabolum, infernum.

Habes breuiter officium personæ. Messias, Filius Dei, brachium Domini, erit Doctor, minister Dei in docendo, **QVI INTELLIGIT**, substantiue, absolute, id est, agit omnia ut fiant homines intelligentes, sapientes, ut Psalm. 2. Et nunc reges intelligite. Regnum igitur Christi consistit in intelligendo, & erudiendo, Quicumque igitur sunt sapientes, docti, & gloriosi in mundo debent eum audire, ei credere & cedere.

Porro autem Christus fuit etiam in personalibus seu politicis intelligentissimus. Verum Propheta loquitur de intelligentia ministerij. Omnia igitur quæ facit Christus huc pertinent ut agnoscatur intelligens esse, & nos efficiamur intelligentes

telligentes ab eo, ut alibi in Esaia, Dabo
filios doctos a Domino, Et Ioan. 5.
Erunt omnes docti a Domino, Item ali-
bi in Esaia, Dedit mihi linguam erudi-
tam.

Hoc uult Propheta cum dicit, Ser-
uus meus intelliget, seu prudenter aget,
quasi dicat, non sparget aurum uel ar-
gentum in populum, sed doctrinam,
quia est doctor gentium, qui hunc re-
gem non receperit, aut alium corpora-
lem regem & doctorem quaesierit, fiet
ei ut Iudeis, qui hunc contemptum mi-
nistrum abiecerunt. Ideo nihil iam ha-
bent intelligentiae de isto seruo. Quia
conclusum est, quod regnum Mesiae
erit uerbi seu doctrinae regnum non cor-
porale. Qui igitur doctrinam eius non
audierit, is non intelliget quae misteria
sint regni ipsius.

Sed quomodo congruit quod sequi-
tur, ad praecedentia, Exaltabitur & ele-
uabitur & erit sublimis ualde. Illa ui-
dentur inter se pugnare, Quid faceret
talis seruus qui non spargit aurum &
argentum inter populum, non congre-
gat arma, non colligit exercitus, non
subiicit

subijcit sibi populos, non regnat potentia, sapientia: quid hic efficeret: quomodo potest eleuari, exaltari, & sublimis fieri: & tamen dicit Propheta eleuabitur. Respondeo per illud uerbum, doctrinam & intelligentiam, eleuabitur Spiritu.

Hanc exaltationem Paulus Eph. 4. sic exponit. Quod qui ascendit ad cœlos, prius descenderit ad inferos, & infimas terræ partes. Sic eleuatus est Christus. Sed quid hæc corporalis eleuatio nobis prodesset, si iste ascensus & exaltatio nobis esset ignota, sicut Iudæis, Turcis & Papistis. Quid prodest Christum pro sua persona exaltatum ad dexteram Patris, quanquam prærequiratur illa personalis Christi exaltatio?

Nisi enim hæc intelligentia spargatur per ministerium, & homines intelligant & credant Christum mortuum pro peccatis nostris descendisse ad inferos, tertia die resurrexisse a mortuis, & ad dexteram Dei patris collocatum, exaltatum, nihil prodest mihi ipsius personalis exaltatio, ut neque Papistis & Turcis, qui Christum

Christum blasphemant & confitentur se esse inimicos Christi, quem tamen ipse Mahomet collocat in aliquo honore, fingens se stare ad dexteram Dei, Christum ad sinistram. Quo innuit eum uiuere. Sed nouus Turca appellat se inimicum Christi, Mahomet laudat eum sed ut purum hominem. Quare ista exaltatio non pertinet solum ad suæ personæ priuatam exaltationem, quamuis hæc præriquatur, Sed maxime ad ipsam prædicationem, quia regnum Christi doctrinale ministerij uerbi est, quo exaltatur Deus, ut sunt multa illustria testimonia in Psalmis, ut, exaltemus nomen eius, Item exaltare super cælos, Item exaltatur nomen tuum in uniuersa terra.

Exaltare ergo personale, sequitur illud doctrinale quod est laudis & gloriæ ut res exaltata etiam celebretur. Res est quod resurrexit. Sed per Euangelium toti orbi prædicatur. Ibi laudat & confitetur cum orbis, quod sedeat ad dexteram Patris, pari diuinitate & potentia, etiamsi eum non uideat. Reuera enim non uidemus eum, tamen exultamus, leuamus eum uerbo & confessione

sione Fidei, & credimus eum sedere ad
dexteram patris ut interpellet pro no-
bis.

Sic exaltatio etiam ad nos pertinet
ut 2. Theff. 2. tonat & fulminat Apосто-
lus contra Antichristum: Eleuatur sa-
per omne quod colitur & dicitur Deus.
Ibi S. Paulus dicit Christum esse exalta-
tum & æqualem Deo, & tamen Papa
non tantum aduersatur Christo, sed ex-
tollit se supra eum, non re ipsa quia supra
Christum Filium Dei, ut nec supra pa-
trem nihil potest exaltari & extolli, nec
angelus, nec Diabolus. Sic & Daniel
cap. 12. loquitur de Antichristo: Magni-
ficabit & extollet se supra Deos patrum
suorum, &c.

Est ergo exaltatio doctrinæ, confes-
sionis, fidei, quod sicut reuera sedet ad
dexteram patris omnipotentis æqualis
Deo. Ita in meo corde nihil altius de-
bet sedere, quam Christus exaltatus su-
pra omnia, hoc est, debeo credere illi
subiecta esse omnia, nihil doceatur, au-
diatur, dicatur, supra & extra hunc Chri-
stum, sicut econtra Papa se extollit su-
pra Christum in omnibus suis decreta-
libus,

libus, initio, medio & fine præferens sua
dogmata Christi doctrinæ, cum præsi-
deamus uniuersæ Catholicæ Ecclesiæ,
quæ uerba sunt blasphema, sacrilega, ad-
uersantia Christo, quibus Papa extollit
se supra eum, quia hæc est gloria solius
Christi, scilicet, præsidere uniuersæ Ec-
clesiæ, caput esse quod dominetur toti
corpori, solius Christi est.

Sic Antichristus extulit se contem-
nendo & mutando præcepta Christi,
liberando conscientias ab eis & regendo
magis suam quam Christi obedientiam,
imo dissoluendo omnia præcepta Dei,
Ita enim rugit in omnibus suis canoni-
bus ut dixi, & addit qui se subtrahere
uolunt ab obedientia legum suarum,
id eos facere periculo animarum sua-
rum. Ita damnat omnes animas Filij
Dei sanguine redemptas, & dicit om-
nes perituras, quæ non obediunt per
omnia mandatis suis, hoc est, extollere
se, & esse æqualem Deo.

Non damnabor Antichriste propter tu-
as decretales non seruatas, & tamen cre-
didimus nos peccare si nudo digito ca-
licem consecratum attingeremus. Item,

C

Nos su-

Nos sumus caput cunctarum Ecclesiarum, quicquid dixerimus hoc erit seruandum. Ita initio, medio, & fine est blasphemus in Deum, ita enim claudit. Nulli homini licet contradicere nostrae sanctioni. Grandia uerba, quasi neglecta una decretali Papae non sit speranda falsus, ideo addit, Nouerit se incursum indignationem omnipotentis Dei.

Si reformandae essent decretales, profecto amputanda essent intestina, caput, & cauda. Certe pii discipuli iuris amantes Christi doctrinam, cum legunt Decretales deberent perterrefieri quia sunt merae & horribiles blasphemiae & exaltationes supra Deum dictum.

Est ergo duplex exaltatio Christi personalis qua ipse exaltatur & est caput nostrum, & realis, utraq; uera. In persona sua exaltatus & collocatus est ad dexteram Patris. Altera realis quod talis creditur, talem eum confitemur, talem exaltamus ministerio uerbi, & confessione fidei. Et propter hoc secundum exaltare factum est primum, quia passio, resurrectio, glorificatio, sessio ad dexteram Patris, habet hanc finalem causam ut agnosca-

agnoscamus & prædicemus eum esse ta-
lem. Personalis enim eius exaltatio ideo
facta est, ut talis agnosceretur, prædica-
retur, crederetur, eum talé confiteremur
in nostram saluté, ut eius doctrina osten-
deret nobis istam rem, & sic ostensa &
apprehensa per fidem salui fieremus, si-
cut infra sequitur, Notitia sui iustifica-
bit seruus meus iustus multos, propter se
enim nec natus, nec mortuus est, nec re-
surrexit, sed ut Paulus ait Rom. 4. Mor-
tuus est propter peccata nostra, & resur-
rexit propter iustitiam nostram, ut infra
etiam testatur Propheta, languores no-
stros ipse portauit.

Summa exaltari, sublimé fieri Chri-
stum factū est semel in sua persona. Sed
illa realis exaltatio non cessat, sed fit quo-
tidie in æternum. Et ista sua eleuatione,
qua agnoscimus, prædicamus, confite-
mur eū exaltatū, saluat nos in æternū, ac
beati tū erim⁹ cognoscēdo & uidēdo eū.

Et quanquam inebriati quasi & sati-
ati & pleni erimus hac cognitione, tamē
nunq̄ satiari aut repleri istis cœlestibus
rebus poterimus, gaudebimus, & mirabi-
mur cum angelis in perperuum 1. Petri 1.

Meo ergo iudicio hic proprijsime & maxime intelligatur secunda exaltatio quæ fit per nos in Ecclesia per ministerium uerbi, qua exaltatur Christus apud nos in salutem æternam. De particulari siue personali exaltatione infra dicemus.

Relinquo Hæbreis discrimen trium uocabulorum exaltandi, quæ non satis distincte & proprie definiri possunt, Primum Rom est altum, sublime, a quo Abraham pater altus, & tamen usurpatur etiam de altera exaltatione, ut Psal: Exaltabo te Domine Deus meus Rex, id est, laudabo, glorificabo, Altitudo montium Esai: 2. supra omnes cedros altas, in quo loco Propheta multis uocabulis utitur, quæ altitudinem significant, sed fere omnes istæ appellationes altitudinis sunt metaphoraë significantes gloriam & superbiam, ut Psal: 131. Non est exaltatum cor meum, Ich gehe nicht hoch herein / opulentus est exaltatus, aber herlicher istis / quando aliquis est cum laude gloriosus, quando scilicet accedit altera exaltatio ut laudetur, celebretur, prædicetur ab hominibus. Sit

Sit igitur hoc discrimen (ego tan-
tum hoc modo imaginabor) Libanus
est mons Rom. id est, altus, supra hunc
est aliquis collis qui magis est exaltatus,
tertio imaginor Cedrum aliquam pro-
ceram seu erectam supra collem. Sic di-
citur de Dei Filio. Sed committo ista
grammatica Hæbreis.

Dicit ergo Propheta in persona pa-
tris, quod Messias Domini brachium,
erit pauperrimus minister, humilimus,
nihil habens præter uerbum, nec reg-
nans nisi solo ministerio uerbi. Hic ni-
hil est cernere gloriosum, sublime, neq̃
est exaltatum esse, sed infimum & abie-
ctissimum. Quid enim Doctor si nihil
habet præter uerbum? Deinde egens,
nudus, instabilis non habens ubi recli-
net caput suum, fex hominum 1. Cor. 4.
Psal. 22. Ego autem uermis sum & non
homo, opprobrium hominum & abie-
ctio plebis. Quæ hæc est altitudo? Item
deprimimur, persecutionem patimur,
occidimur, & tamen in oculis Domini
sublimes sumus, exaltati, eleuati etiam
re ipsa.

Postea facit nomen nostrum mag-
num, &

num & gloriosum, exaltat nos confes-
sione fidei, ut saltem hanc memoriam no-
stris posteris relinquamus nos ueros &
fideles pastores fuisse. Quid in hac uita
erant Petrus, Paulus? περιψυμα καὶ κα-
θαγμα, nihil siquidem uilius, abiectius,
conculcatius ipsis. Sic Christus ipse, &
tamen in hac seruili specie incedens rex
omnium regum est, iudicans & guber-
nans omnia. Sic est exaltatus re ipsa, &
postea confessione & prædicatione.

Nunc Apostoli sunt iudices & reges
mundi & exaltati, propter quid? prop-
ter uerbum quod docuerunt, manebunt
exaltati in æternum, nullus iam rex est,
qui, si daretur optio, non malit suam co-
ronam, gloriam & potentiam deserere,
atque eligere & retinere Petri gloriam co-
ram Deo, loquor de Christiano rege nõ
epicureo &c. Imo certe optaret ut ad
scabellum pedum ipsius sederet, & mini-
straret illi. Tale est regnum Christi. Siqui-
dem propter nos factus est seruus huma-
nam naturam assumens, descendit ad in-
fimas partes terræ, & rursus ascendit re-
ipsa, postea etiam confessione, prædica-
tione, laude, benedictione, gloria sempi-
terna:

terna: Primum ergo disce qualis sit rex
ut intelligas regnum eius non consistere
in opibus, sapientia, potentia carnali, nec
ulla re mundana, sed esse regnum eius
uerbale, doctrinale, spirituale, æternum,
quod liberet a potestate Diaboli, a pec-
cato, a morte & ab omnibus malis.

Propterea obstupuerunt super te
multi, sic inglorius erit inter uir-
ros aspectus eius, & forma eius
inter filios hominum. Ipse asper-
get gentes multas, super ipsum
continebunt reges os suum.

DEscripsit Doctorem & Regem il-
lum quod sit sublimis & eleuatus
in æternum ualde qui administret
uerbo regnum ut ergo cœpit esse doctor,
ita manet ipse solus, sicuti Matth. 23. ait,
Nolite fieri magistri, quia unus est ma-
gister uester, Nunc igitur describit etiam
istius serui intelligentis uitam cum dicit:
Obstupescēt multi, hoc proprie Prophe-
ta uaticinatus est de Iudæorū cœcitate.

C 4

Inspice

Inspice enim non solum passionem Christi, sed etiam actionem, miracula eius, an non tota eius conuersatio est in summa humilitate, paupertate & contemptu?

Ideo non agnouerunt eum esse Regem aut Messiam. Ita Apostoli non iudicauerunt eum regnaturum per uerbum, sed sperarunt eum restitutum regnum Israel Act. x. Vident quidem gloriosa, & magnifica facta, audiunt mirabiles eius actiones, & tamen cogitant ista non esse gloriam regni ipsius. Sed sperant eum fore Dominum mundi, qui Romanos conculcabit, & omnes gentes sibi subiiciet, & faciet ipsos principes orbis terrarum & Dominos opum totius mundi.

Quanto minus credebant Saducæi, pingues Epicuri de grege porci? Ideo dicit ipse Beatus qui non fuerit scandalizatus in me.

Ego pauper, abiectus, uermis, opprobrium hominis & abiectio plebis, non habeo ubi caput reclinem, ut Math. 8. Vulpes foueam habent, &c. Quid hoc est dicere? sunt ne hæc uerba Regis non habere ubi caput reclinet? Ideo

Ideo inquit Propheta, Multi qui uidebunt & audient te loquentem, agentem, patientem, ædentem etiam miracula, obstupescunt super te & dicent, **Der wirdts nicht thun.**

Postea occiditur ignominiosissima morte & pendet inter latrones, sepelitur, triumphant Annas, Caiphaz, &c. Num hoc est regnum inchoare?

Impegit hic maior pars populi Israel in hunc lapidem offensionis.

Tunc es rex noster qui non habes locum ubi caput reclines? Ideo obstupescunt **Entsetzen sich** / pudet eos huius Regis, hoc est scandalum huius populi.

Vsus est propheta ualde significanti uerbo Schamenu. Scham enim significat desolari ut etiam ex Daniele patet. Cum uideritis abominationem desolationis. Item Iesa. x. desolabuntur ciuitates uniuersæ. 1. Reg. 9. Omnis qui transierit per eum obstupescet. Psal. 40. Desolabuntur ob mercedem pudoris sui. Hiob 17. Obstupescunt recti super hoc.

Hinc autem nomen habet, quando scilicet inspector uidet Hierusalem incensam,

cenſam, deſolatam obſtupescit & mouet
caput inquiens, *bistu ein ſtad*. Sic ab
obiecto trahitur ſignificatio affectus, in-
ſpector nauseat, caput mouet, *ſtelt ſich
vngheberlich / ſihet ſawer / runzelt na-
ſen vnd ſirn.*

Sicut enim res apparet, ita geſtus ui-
dentium exprimitur, quaſi dicat, O Meſ-
ſia multos deſolabis, quia tu es deſola-
tus, tua uita & actiones tales erunt ut
multi obſtupescant & cogitent te nihil
minus eſſe, quam brachium Domini.

Habere enim regnum, eſt habere po-
tentiam, opes, urbes, regiones, proceres,
principes, & præcipue habere tale regnū
quale futurum erat Meſſiæ in ſcriptura
promiſſum, quod eſſet rex futurus orbis
terrarum, qualem & hodie expectant Iu-
dæi ut tunc, ut ſint domini & collectores
auri, argenti, & opum mundi & omni-
um rerum precioſarum ut tum occidere
poſſint omnes gentes & ſoli dominari.

Cum hoc non uiderent in Chriſto,
quamuis glorioſa miracula faceret, mo-
uerunt capita dicentes, *der wirdts nicht
thun.*

Sicut

Sicut ergo ipse miserrimus rex quod
ad externam speciē attinet uastatus, deso-
latus. Sic inspicientes eum desolantur, id
est, stellen sich schendlich dagegen.

Hoc testatur Euangelica historia, quod
rex iste intelligens in oculis populi sui fu-
erit tanquā desolatus & plane nihil. Sie
haben sich eben gegen ihm gestellt
wie ehr sich gegen dem Reiche ge-
stellt hat.

Ratio enim non intelligit eum, qui
apparet pauperrimus, & miserrimus ser-
uus, esse Regem.

Apparuit pauper & afflictus non so-
lum in passione, sed etiam in omnibus
actionibus suis, ita ut miracula eius im-
pios nihil mouerint, in admiratione tan-
tum fuerunt apud pios qui erant paucif-
simi, etiam apud Apostolos adhuc car-
nales parum efficiebant nisi quod con-
cipiebant spem futuræ dominationis &
regni ut dicunt Act. 1. Num restitues reg-
num Israeli?

Itaq; tot eius miracula gloriosa qui-
dem nihil aluerunt nisi spem liberatio-
nis corporalis a seruitute Romana &
dominii humani.

Quid

Quid nunc sentirent de Christo illæ
feces nouissimæ Iudeorum.

Cum præsentē Christo Cayphas,
Annas & alij sacerdotum principes audi-
rent eum miracula facere, cogitabant
esse aliquem pauperem Prophetam ob-
sessum a Diabolo. Offendebat enim eos
quod se opponeret sacerdotibus, obiur-
garet principes, damnaret cultum po-
puli Dei.

Ideo certi erant eum non esse ex Deo,
sed blasphemum & seditiosum, certo er-
go persuasi erant eum non esse Mes-
sam.

Ideo dicit Propheta hunc doctorem
sessurum in sublimi, Regem æterni reg-
ni, autorem uitæ & mortis. Sed quia reg-
num suum administrat in hac seruili
spetie quæ nihil est ad regnum corpora-
le, ideo multi turbabuntur & offenden-
tur, & distorto ac deformato uultu, ob-
liquis oculis eum intuebuntur, id est,
tristabuntur, offendentur, deformabunt
uultum aduersus istam doctrinam & in-
telligentiam, quæ nihil minus promittit
quam regnum, pompam, potentiam &
gloriam carnalem.

Hactenus

Hactenus de Iudæis. Multi, inquit, qui uident eum agentem, miracula ædentem, patientem, dicent: Hic non est Rex, quia somniant Messiam futurum terrenum regem. Sed quare sic uultuantur, id est, offenduntur? Quare adeo despectus est? Quia, inquit, Propheta sic inglorius erit inter uiros aspectus eius. Non enim qui futuri sunt reges in mundo sic adparere solent, non abijciunt pecuniam, multo minus uiuunt in miseria ut Christus, qui non solum contemptus est, sed etiam suos ad eundem contemptum mundi inuitat. Darüber wirdt ein scheutzliche desolatio, uultuatio werden/ita ut multi offendantur.

Ideo ait Propheta, deformis, corruptus aspectus eius, & forma eius præ cæteris uiris.

Porro autem Propheta non loquitur de personali forma Christi, quia fuit integer, sanissimi corporis, mundissimæ carnis, sine peccato conceptus, ex illibata uirgine natus est, Item Lucæ 2. creuit sapientia & gratia apud Deum & homines, sed loquitur Propheta de forma politica,

litica, & regia gubernatoris, qui debet
fieri rex terrarum.

Hæc tam absurda & offensiva sunt
ut nihil supra, Darumb werden sich
viel daran stoßen.

Est itaq; Christi regnum tale, qualis
ipse rex est, non incedit in specie regis, ibi
nulla maiestas, pompa aut potentia re-
gis apparet, ut in alijs uidetur, sed ut ui-
lissimus seruus seruorum incedit, quo
non sit homo in orbe terrarum despe-
ctior uisus.

Num hoc est exaltari, intelligere, pro-
spere procedere Psal. 45. Sed ut scriptu-
ra dicit ex ore infantium & lactentium
fundat regnum suum &c. & Psal. 8. Mi-
nuisti eum paulo minus ab angelis, id
est, derelictus est a Deo præ omnibus, ut
testatur ista uox in cruce, Deus meus
quare me dereliquisti?

Tantum abest a sua gloria & regno
ut etiam a Deo derelictus sit non tantum
ab hominibus, quis igitur hunc putabit
regem esse? & tamen sublimis erit ualde
ut idem Psalmus testatur, Constituisti
eum super opera manuum tuarum, glo-
ria &

ria & honore coronasti eum, sed per intelligentiam & fidem uerbi.

Loquitur igitur Propheta de scandalo cum dicit, uultuabuntur super te multi & offendentur quia aspectus tuus deformis non congruit cum regno, imo nihil magis alienum est a regno quam iste aspectus distortus tuus.

Sed sicut isti multi offensi & desolati impegerunt, lapsi sunt & non perueniunt ad regnum quibus tamen ut filiis promissum erat, tamen ista forma seruus ille Dei & specie corrupta morte sua asperget gentes multas, id est, loco Iudæorum qui offendentur formis crucis Christi non unus populus, sed multæ gentes aspergentur, iuxta illud, In propria uenit & sui eum non receperunt, Item Act. 13. Vos iudicatis uos indignos uita æterna. Ecce conuertimur ad gentes.

Amittit priorem partem de Iudæis, loco istorum acquirit non unã sed plurimas gentes p totũ orbẽ terrarũ dispersas.

Si uos non uultis, cum gaudio amplectentur hunc regem gentes.

Sic completur mirabili iudicio Dei
hoc uer

hoc uerbum Christi. Ego in iudicium
ueni ut uidentes cœci fiant, & cœci ui-
deant.

Iudæi habent lucem, audiunt, uident
Christum, sed quia offenduntur misera
eius specie excoecantur.

Gentiles excoecati sunt, illi uerbum
Dei amplectentes illuminati sunt & rece-
perunt Christum.

Idem scribitur Esa. 6. Wade excoeca
cor populi huius, Quantumuis ergo Iu-
dæi offendantur specie deformi & scan-
dalosa Christi, hac tamen ipse specie per
uerbum, ac per os infantium faciet, con-
stituet, stabiliet atq; fundabit regnum
suum, & exaltabitur & erit sublimissi-
mus per totum orbem terrarum.

Sic Paulus 1. Cor. 1. Prædicamus
Christum Iudæis scandalum, &, ut ait
Esaias, Schamam desolatum, quem nec
audire, nec uidere uolunt, Gentibus stul-
titiâ, uobis Dei uirtutem & sapienti-
am.

Iudæi scandalisati auersabantur Chri-
stum ex uidentibus cœci, surdi & stupidi
facti, licet uiderunt & audiuerunt præ-
sentem.

Ita

transfert ad ueram asperſionem Chriſti,
Sicut petrus in ſua Epistoſa interpreta-
tur 1 Petr. 1. Gentes per orbem diſperſæ,
uocatae ſunt ad obedientiam & aſperſi-
onem ſanguinis Ieſu Chriſti, & Hæbr. 12.
Accessiſtis ad montem Syon, & ad aſper-
ſionem ſanguinis Ieſu Chriſti melius
loquentis quam Abel, quia ſanguis Abel
clamat uindictam, Sed Ieſu Chriſti ſu-
per nos aſperſus remiſſionem peccatorũ
& uitam æternam.

Iſta aſperſio fit miniſterio uerbi.
Tingitur digitus ſanguine Chriſti, &
ſpargitur ore ſuper gentes per totum or-
bem terrarum diſperſas, hoc modo, Cre-
de in Chriſtum crucifixum & reſuscita-
tum a morte propter peccatum & iuſti-
tiam tuam, & remittuntur tibi peccata
tua, ut 1 Ioan. 1. Sanguis Ieſu Chriſti pur-
gat nos ab omnibus peccatis.

Sic ſpiritus per os infantium aſper-
git gentes, & qui aſperguntur ſunt ſancti
per remiſſionem peccatorum & pecca-
tum ipſorum incipit purgari hoc ſang-
uine quo aſperſi ſunt, id eſt, hoc uerbo de
eius ſanguine ſuper nos proiecto ut au-
diamus & credamus, atq; ita mundemur
hoc eſt meritum Chriſti, Nam

Nam os infantium non facit hæc
magnalia, fundans regnum uitæ, iusti-
tiæ, destruens peccatum, & mortem, sed
uirtus Christi qui ea impetrauit suo san-
guine, qui non est leue precium pro pec-
catis nostris effusus, & per Spiritum San-
ctum super nos sparsus uerbo.

Hoc modo quo Iudæi Schamemu
obstupescunt, uultuose abhorrent, *sperr
ren sich rümpeln nase vnd stirn* ad præ-
sētē Christum, qui apparet in scandalo-
sa forma, moritur, crucifigitur, & nullus
decor in illo apparet, efficiet ut asper-
gantur gentes multæ quæ admittent
hanc asperisionem, & cum gaudio acci-
pient uerbum quod nunquam audie-
runt, iuxta illud Esaie. 65. Quæsiuerunt
me qui ante non interrogarūt, & 53. Qui-
bus non narratū est de eo uiderunt. *So
ist der Jüden meülen woll gerochen
vnd besser angewandt.*

Ita enim translatum regnum Chri-
sti ad gentes, quæ ueniunt sine sua dig-
nitate, meritis, & iustitia legis, ad hanc
asperisionem qua saluantur.

Imo quod plus est, sic asperget gen-
tes multas, ut etiam reges se Christo sub-

ſciant. q. d. tam ſublime & exaltatum
erit eius regnum, & hac aſperſione ſic
procedet, ut etiam capita gentium, ſub/
limitas mundi, & ut Dauid ait excelsū
præ regibus terræ, & regna aliqua mundi
os claudent, & de ſuis uiribus aut poten/
tia nihil gloriabuntur, dicentes. Non
gloriamur in noſtris regnis, iuſtitia, ſapi/
entia, aut potentia, cum ſumus puluis
& cinis, Chriſtus uero eſt rex exaltatus
ſuper omnia,

Quid fecit tibi rex? quibus armis te
ſubiecit ſibi? Vbi eſt eius armatura, ex/
ercitus, potentia?

Verbum, quod per os infantium aſ/
pergit, ita, ut ultro ſeſe ſubijciant ei, quæ
Iudæi, quibus promiſſus erat, noluerunt
regnare ſuper ſe, & dicunt, Domine Ieſu
Chriſte miſerere noſtri, ego non ſum rex
imo nihil ſum reſpectu tui.

Iudæi uolunt ſubijcere ſibi reges ter/
ræ, econtra reges amplectentes uerbum
Chriſti dicunt, Non gloriamur de coro/
na & potētia noſtra, ſed in tuo Dominio
gloriamur, quod tu ſolus potens, ſanctus
& altiſſimus, es.

Sic

Sic CHRISTUS exaltatur sine gloria
mundana, sine gladio ac armis, tantū in-
telligentia & aspersione sanguinis, ut re-
ges os claudant, se suaq; omnia subijci-
ant & collocent ad scabellum pedum
Christi.

Quoniam, quibus non narra-
tū est de eo, uiderunt, & qui non
audierunt, contemplati sunt.

Sic fit, illi qui audierunt (Iudæi) auer-
santur eum. Sed oportet hunc re-
gem & seruum intelligentem exal-
tari, die Jüden meulen vnd rüßeln
sich gegen ihm / noch muss er hoch
werden, quia est seruus intelligens.

Si uos Iudæi non uultis eum com-
plecti, quibus hæc gratia prædicta,
promissa & exhibita est, efficiam, ut illi,
quibus non est promissa, qui non habu-
erunt uerbum, patriarchas, prophetas,
sed erant surdi, cæci, & sine uerbo, habe-
ant, audiant, & uideant cum summo
cordis gaudio, & dicant, Nos libenter

uolumus esse uilissimū, tantum ut simus
populus DEI participes huius regis &
serui intelligentis.

Ita quibus non est narratum, qui
nullam spem habuerunt de illo rege, aut
Intelligentia & sublimitate eius uerbum
amplectuntur.

Contra Iudæi somniant regnum
Messiæ futurum corporale, gentes uero
audiunt intelligentem seruum hunc, &
obediunt ei. Hinc Paulus Act. 13. inquit,
Conuertimur ad gentes, cum reijcitis
uerbum salutis.

Hoc de principio huius capituli, Gē-
tes intelligent, animaduertent, non di-
cent Schamemu, sed admirabuntur.
Iudæi habuerunt prophetias ab initio
mundi, quibus Christus eis promitteba-
tur, habuerunt prophetas, apostolos, testi-
monia patriarcharum, tamen ea omnia
eis nihil profuerunt, nihilominus oportet
exaltari hunc regem apud gentes,
quæ cum gaudio suscipient eum, lauda-
bunt & gratias agent, uidebunt quæ non
uiderunt, audient quæ non audierunt, &
dicent, quis unquam credidisset Iudæos
habuisse tot testimonia patriarcharum,
prophe

prophetarum, promissionum, & tamen
hunc regem noluerunt.

Gentes econtra animaduertent, ne
men ihm mit freuden vnd von hertzen
an.

Ita clare prædictum est, quod Chri-
stus propter scandalum crucis auferetur
cum regno suo a Iudæis, & dabitur gen-
tibus quæ nihil audierunt de promissio-
nibus & Christo,

Sic & Christus Math. 21. Auferetur
regnum a uobis, & dabitur genti facien-
ti fructus eius.

Quis credit auditui nostro &
brachium Domini cui reuelabi-
tur.

Propheta proprie loquitur de incre-
dulitate & obstinatia Iudaica, quod
Messiam suum amplecti noluerunt,
sicut inquit scriptura, In propria uenit,
& sui eum non receperunt &c. Quis cre-
det inquit auditui nostro, id est, sermoni
annunciationi, seu Euangelizationi no-
stræ.

D 4

Nam

Nam Euangelion est rumor seu fama, quæ auribus percipitur.

Quâdo ista audificatio ueniet, quod Christus uilissima persona tota uita nihil dignum gessit, O quanta erit offensio, quam non credetur, & tamen ait eleuabitur & excelsus erit, h. e. audietur, licet eius potētia & gloria non uidebitur.

Porro autem quamuis Iudæi negare non possunt, quin loquatur de Christo, tamen recentiores uarie ludunt, & in uarias & absurdas opiniones euanescunt, alij aliud comminiscuntur, plurimi de ipso populo, seu seruo Domini collectiue intelligunt.

Sed necesse est prophetam loqui de una persona, ut clare uidebimus quædam possunt deprauari, sed non omnia.

Reuelatum est brachium per prophetas. Et hic est unus locus & phrasis scripturæ communis, sic uocari passim filium Dei brachiū Domini, Brachium Domini dominabitur, hoc non potest, collectiue intelligi de populo Israel. Hic certe non est brachium Domini, Sed, inquit, non loquimur de Messia, sed de Mose, Quis gentium credit legi nostræ, & brach

& brachiū, quo educti sumus ex Aegip-
to, cui reuelatum est ?

Sed uidemus prophetam loqui de
persona, quæ est spreta, contempta ac, ab-
iecta, & tamen asperget populos, & qui-
dem eos, quibus non est narratum, **Es-
gehet alles in una consequentia & co-
hærentia.**

Et hinc attexit hoc ipsum, quis eorū
credet: qui audiēt illud audibile brachiū
Domini, quod prædicatur & reuelatur.

Quantumuis enim sit reuelatum &
prædicatum, tamen non credent, ut sol
in oculos cœci impingens, ut ille sentiat
etiam calorem, & omnibus lucens, ta-
men in cœcū incurrit, uelut in parietem,
quem tamen non transit, hoc est, quod
Paulus dicit 2. Cor. 3. Excœcat Deus secu-
li huius corda &c. ut & Esaias. 6. Excœca-
cor populi huius, ut uidentes non uideāt.

Idem hodie papistis usu uenit, etiam
si lux Euangelij & ueritas uerbi Dei tam
clare iam proponatur, ut omnes mulie-
res & pueri intelligant, tamen illi in tene-
bris, excœcationibus, & scandalis prorsus
suffocati sunt.

Hoc scriptura uocat indurari, excœ-

D S

cari u.

cari ut non uideant fulgorem lucis Euā
gelij.

Ministerio. quidem satis reuelatur &
deklaratur, sed per incredulitatem non
curatur hoc brachium. Ille seruus DEI
quem hic Esaias appellat, Seruus meus
erit, est brachium Domini.

Hæc duo coniunge Brachium Do-
mini, est seruus Domini, ista enim non
intran in corda Iudæorum qui satis su-
perbe contra nos gloriantur.

Vos Christiani inquit dicitis ue-
strum Messiam esse uerum Deum, Esaias
autem uocat eum seruum, qualis est iste
Messias?

Imo asseueratis uerum Deum, crea-
torem coeli & terræ esse seruum Dei, ma-
ledictum a DEO, plagis affectum, per-
cussum a DOMINO, crucifixum &c. Si
Deus est non potest esse seruus, si est ser-
uus, Deus esse non potest, præsertim tam
despectus & uilis usq; ad ima tartara.

Hic creauit angelos & omnia, num
is poterit mori, descendere ad inferos, ut
uos docetis & creditis?

Quam inflexibiles & incorrigibiles
sunt in hoc loco Iudæi, putant se certis
habere

habere ueritatem. Sed mandatum habemus, scrutamini scripturas, quia ipsæ testantur de me, Ioan. 5.

Vtrumq; uerum est, uerus **DEVS**, brachium Domini, & tamen seruus miserimus.

Quia Messias est ex semine Dauidis, Iacob, Abraham. Non potest autem esse proles aut semen Dauidis, nisi de semine & carne natus.

Sic certe scriptum est, eum esse semen Dauidis, Abraham Rom. 1. Math. 1. qui natus est ex semine Dauid secundum carnem, sed tamen definitus **DEI** filius per Spiritum sanctum, semen Dauidis sed tamen **DEI** filius.

Dauidis quidem in infirmitate & humilitate carnis, Dei uero in uirtute, sic declaratur per Spiritum Sanctum post resurrectionem suam. Ille crucifixus filius Dauidis, & miserum semen est Brachium Domini, de quo prædixit hactenus propheta, eum futurum esse despectissimum.

Hoc prædixerunt omnes prophetae clarissimis uerbis, sed defuit qui explicaret, quod per Spiritum Sanctum oportuit fieri.

uit fieri & dici. Hæc paucissimi intellexerunt in ueteri testamēto, quasi in occulto, postea copiosissime declaratur effusione Spiritus Sancti in die pentecostes, cum loquebantur uarijs linguis piscatores magnalia Dei, & c.

Mira igitur locutio est brachium Domini & seruus, id est, filius Dei Messias est sublimis, exaltatus non tantum in cruce a terra, sed sedet ad dexteram DEI, æterni patris, sic, ut sit ipsum Brachium Domini & dextera Dei, per quam Deus omnia fecit, ac facit potenter, eduxit filios Israel ex Aegypto, cibauit manna in deserto. 40. annis Israelitas.

Hæc est sapientia Christianorū. Qui habent Spiritum Sanctum, ut illud incredibile credant, scilicet quod idem sit miserrimus filius David, & gloriosus rex Deus in excelsis, quod Messias pendens & moriens in cruce subijcitur omnibus dæmonibus, imo quod est extremæ delectionis, inter omnia peccata mundi nullum est, quod non factum est suum, quod in se non deriuat, sustentat & portat, & tamen ille portans omnia peccata est uerum brachium Domini ac Deus gloriosus

gloriosus & benedictus in secula.

Quomodo ista Iudæi intelligerente offenduntur in coniunctione naturarū, est audibile, quod fide accipitur impossibile est creditu rationi humana.

Quomodo enim potest esse seruus, & ut canitur gigas substantiæ geminæ in una persona duarum naturarum?

Hæc diligenter inculcanda & credenda sunt, cum aperitur scriptura, alias enim nemo cogitet unquam quod possit intrare in penetralia & secreta scripturæ, excluso illo Brachio Domini incarnato Deo. Constituto autem quod Dei filius & Davidis sit unus, non duo filij tota scriptura patet, quia de uno tantum loquitur. Ergo quatenus est naturalis filius Davidis secundum naturam hanc assumptam, uocatur tota persona seruus, non sunt distrahendæ personæ, ut Nestorius hoc modo tumultuatur, Iudæi inquit, non crucifixerunt filium Dei sed Mariæ. Sic uoluerunt honorare & glorificare gloriosam personam filij Dei, ne subijcerent eam cruci & passioni.

Verum ibi duæ personæ constituuntur, quod est impium & hæreticum.

NOIZ

Non enim diuidenda & distrahenda est
persona filij Dei, & Dauidis. Sed debe-
mus credere & confiteri, quod illæ duæ
naturæ sunt unus filius, quia sunt iam
unitæ unione hypostatica, quando qui-
dem recte definitum est in concilio Chal-
cedonensi ut uocetur Maria θεοτόκος, id est,
mater paries Deum, non mater filij Dauidis,
excludendo Deum sed Deipara θεοτόκος.

Obijciunt autem Iudæi, Quomodo
potest nasci ex Deo?

Respondeo, angelus prædixit, & ita
factum est, Ergo Iudæi non crucifixe-
runt filium Dauidis, sed crucifigendo
filium Mariæ, etiam filium Dei crucifi-
xerunt.

Est ergo uere unus filius quia est una
persona, ut Angelus Luc. 1. Dicit, quod
nascitur ex te (muliere scilicet uirgine)
filius altissimi uocabitur. Tuus quidem
filius erit, nascetur enim ex te, concipies,
& paries eum tuo utero, sed iste filius tu-
us, siue hoc ipsum quod ex te natum est,
uocabitur filius altissimi.

Sic. 1. Corinth. 2. Si cognouissent
DOMINUM gloriæ, non crucifixissent.
Paulus clare ait non filium Mariæ, aut
Dauidis

Dauidis crucifixum tantum, sed Domi-
num gloriæ, id est, Dominum gloriosū.
Et ad Ebre. 6. crucifigentes filium Dei.

Ergo caueamus Nestoriana & Swē-
ckfeldiana deliria, quæ personam distra-
hūt, & faciūt duos filios & teneamus fir-
miter non esse duos filios, sed unū filiū.

Eundem filium quem mater filium
uocat, hunc Deus pater etiam secundum
suam substantiam uocat filiū suum, estq;
Maria mater filij. Reijciendus igitur &
explodendus est error Nestorij & aliorū.

Porro autem patres hoc communi-
cationem idiomatum appellarūt, quod
communicet, suas proprietates utraq;
natura illi personæ quæ est filius Dei.

Humana communicat illi personæ,
quæ est filius Dei, & diuina natura ei,
quæ est filius Mariæ, quod accidit huic
qui est filius Dei, dicitur accidisse filio
uirginis, & econtra, ut Iesus Nazareus
est filius uirginis & simul Dei in unitate
personæ, id est, una unione duarum na-
turarum, ut recte dicatur, hic homo con-
didit stellas, Deus uagit in cunis, & ho-
mo creator & gubernator angelorum,
qui fugit ubera matris, qui creauit om-
nia, iacet in præsepio. Sic

Sic Spiritus Sanctus seruauit Eccle-
siam in hoc articulo, qui quidem præci-
puus est in nostra religione, ut Psal-
mo. 8. pulcherrime dicitur, Quid est ho-
mo, & filius hominis, quod uisitas illuc
Ibi audis matrem uirginem, filium Da-
uidis, item passionem, crucem, Minuisti
eum paulisper, id est fuit derelictus a Deo,
non diuisione naturarum, quod diuina
natura deseruerit humanam, sed perpe-
tuo cum ea mansit, sed in passione au-
xilio & potentia Diuina destitutus, & ta-
men sequitur, gloria & honore coro-
nasti eum constituisti eum super om-
nia, subiecisti ei omnia sub pedibus, q. d.
Quis audiuit talia?

Et tamen Esaias dicit, Quis credidit
auditui nostro. O quam admirabile est
nomen tuum Iesu Christe: Nihil potest
unquam cogitari mirabilius, quam quod
ita desertus a Deo, & tamen constitus sit
rex super omnia.

Quomodo autem constitui dicitur?
Propter humanam naturam quæ in
eadem persona est cum diuina, quicquid
de humana dicitur id etiam de diuina
dicitur. Nam humana, non fuit consti-
tuta su

tuta super omnia ab æterno, nunc au-
tem constituta est super omnia propter
diuinam & cum diuina, quæ est ab æter-
no super omnia constituta. Ita Iuuenius
poeta canit. Salve sancta parës enixa pu-
erum puta regem: Qui cœlum terramq̃
regit.

Est res incredibilis plane, quæ solo
uerbo proponitur, alioqui nemo intel-
ligit, nec credit, nisi & Spiritu Sancto in
corde fide huius uerbi accendatur.

Ratio enim non cogitat aliud, nisi
quod Nestorius, Arrius, Macedonius &
Iudæi imaginati sunt.

Habemus ergo Mesiam omnium
dispectissimum & miserrimum, ut nemo
unquam tam profunde, tam uiliter sit
humiliatus, iactatus, & tractatus.

Est enim seruus Diaboli, inferorum,
omnium peccatorum, Mundi, cogitur
eos omnes pati persecutores, crucifixores
occifores, perditores, Nos quantillas
iniurias, aut incommodum quam diffi-
culter patimur, ægre ferimus nos a pa-
rentibus argui.

At hic se uere passus est omnia ma-
la culparum, & poenarum, quæ non po-
tuit fer-

E

tuit fer-

tuit ferre in persona sua, & propter personam suam, propter nos tulit calamitates alienas in corpore suo, ut aboleret mortem, peccatum, conscientiae accusationem, & omnes calamitates nostras, ut corpore & anima liberati a peccato & morte, immunes essemus, & uiueremus noui homines, & iusti sancti in æternum.

Hoc non potest capere Iudæus, imo nullum cor humanum assequitur, ita ut ad hoc obstupescat caro, ut plane redigatur in saxum, rigeat & indurescat, ut citius liquefieri possit adamas, si cogitetur ac uere subeat animum, filium Dei gloriosum, creatorem omnium rerum, passum, sic deijci & humiliari, ut nullum sit peccatū, nullū scelus, nullus tam perditus peccator, cui non seruiat filius Dei in proprio corpore, ista, inquit Esaias, quis credet? reuelabitur Brachiū Domini, sed expectemus Spiritum Sanctū, qui hæc enarret, declaret ac illustret, is dabit uirtutem & erit efficax, ut credamus.

Ista declaratio per Dei misericordiam ad nos peruenit, in papatu manserunt quidem uerba ipsa, sed doctrinam & usum huius articuli amisimus prorsus adorauit

mus papam & mortuos sanctos, conten-
ti regulis & operibus nostris.

Vos iam ignoratis quis status fuerit
papatus, hi autem sciunt, qui passi sunt
tyrannidem eius, ut ego.

Est ergo summus rex & seruus infi-
mus Deus uerus & homo abiectissimus
in una & eadem persona, ut uere dicatur
istius Dei fuit nulla species, nulla forma,
erat deformior eius species quam omni-
um hominum.

Quis? An Deus? Certe Deus nun-
quam est deformis, sed gloriosissimus,
solus est pulchritudo, decor, forma, glo-
ria inenarrabilis, quomodo ergo potest
esse uerum?

Scias uniri has duas naturas in unam
personam, ut sit unus CHristus, & non
duo. Ipsa communio unit istas duas na-
turas in unam personam, & duo unum
filium non duos.

Munsterus Iudæum citat, qui hunc
locum Esaiaë cauillatur. Si est defor-
mis sua specie Messias, quare dicitur alias
in Psal. 45. Speciosus forma præ filijs
hominum, gratia in labijs eius, id est, elo-
quentissimus, graciosus uerbis.

E 2

Quare

Quare hic dicitis contra deformissi-
mus, non gratiofus uerbis, sed contem-
ptus: ut nemo audire eam uelit auersis
oculis & auribus: Verum est quidem
quod ista non congruunt Iudæis porcis
istis in scripturam irruentibus, imo nulli
sapientiæ rationis.

Iudæus cæcus ista duo nunquam
concordat summus Deus & infimus ho-
mo, sed Christiano sic congruunt, sunt
duæ naturæ in Christo diuina & huma-
na, in eadem persona, secundū diuinam
naturam est gloria patris æterna, ad tem-
pus autem fuit miserrimus, deformissi-
mus, post uero exaltatus, sublimis, glo-
riosissimus, & propter hanc diuinam na-
turam, & secundum humanam exalta-
tus est super omnia ad dextram patris,
quia oportet hanc humanam naturam
comitari diuinam, seu potius uniri cum
ea ut in una persona, & non potest distra-
hi.

Sic per ministerium factus est seruus
& peccator personaliter & non naturali-
ter, sed quia seruus, est factus omnium
peccatorum, ideo dicitur peccator, atq;
equidem uocat se peccatorem in Psal-
mis, Mi-

mis, Miserere mei, quia peccaui tibi,
comprehenderunt me iniquitates meae.
Opprobria exprobrantium ceciderunt
in me.

Omnia peccata mundi uocat sua,
unde ueniunt in te: Qui conceptus ex
Spiritu sancto, natus ex Maria uirgine
sine peccato, in quo est plenitudo gratiae
quomodo ergo obruunt te iniquitates
tuae O Christe, Audi Esaiaem Cap. 43.
Seruire me fecisti in peccatis tuis.

Hæc sunt uerba Filij Dei in Esaia,
non accendisti mihi thus, non dedisti
uictimas, quia his rebus non seruitur mi-
hi, non indigeo thure, sicut etiam inquit
Psal. 50. Nunquid sanguinem hircorum
potabo, Sacrificium & hostiam pro pec-
catis noluisti aures perforasti mihi &c.
Psal: 40. Non tu mihi, sed ego tibi ser-
uiui. Quomodo? In peccatis tuis, nihil
ex te habeo, tu mihi præbuiisti laborē cru-
cis, mortis, humilitatis, In qua re? in ini-
quitalibus tuis. **Ich hab müssen blue
schwizen.** Ut in passione fuit ex latere
& uulneribus manuum & pedum, & per
totum corpus in agone, in horto, & hoc
fecisti per peccatum tuum, non potuisti

liberari, & mihi seruire, nisi sanguine
& uictima mea redemptus inenarrabili
amore. Ideo propter te seruus factus sum
peccatorum.

Quid ergo fecit Moses cum iubet sa-
crificia Domino Deo tuo offerri? Hæc
docet haud dubie Christus a resurrecti-
one sua duos discipulos euntes Emauntē
in die Paschæ, & 40. diebus alijs discipu-
lis omnibus exposuit, & quidē copiose,
sed nō ita intelligatur, legē esse datā quod
Deo per eam seruiſtis. Sed Deus legem, &
illas Cæremonias Leuiticas ideo dedit,
ut seruaretur ministerium uerbi, ut esset
exercitium, quo retineremini in disci-
plina, & possetis uerbum Dei discere, &
ut esset certus populus, qui haberet pro-
missionem Dei, & custos ac testis eius
esset usq; ad Christū tibi disciplinæ exer-
citium addendum erat, non placastis
per eam disciplinam patrem.

Esaias optime intellexit, Quo mihi
multitudo uictimarum? &c. Cap. i.

Sed tamen præcepisti ea per Moſen,
inspice finalem causam, non lata lex est,
ut per eam iustificaremini, Sed ut mane-
rent promissiones in populo certo, qui
expectaret.

expectaret Messiam, & maneret in officio & disciplina non dispersus, sed in una fide & expectatione aduentus Christi. Cum peccatis tuis præbuiſti mihi laboré, ideo nõ dispuſtes, quomodo poſſit eſſe Seruus is, qui eſt filius Dei. Tuũ peccatum cauſa eſt, Non enim tu ipſi, ſed ipſe tibi, & propter te ſeruit. Non tu eum placare potuiſti lege aut tuis operibus. Ideo ſis gratus, & nunc redemptus ſeruias ei.

Sic igitur Chriſtus uerus eſt Deus & ſeruus, atq; equidem uiliſſimus omnium peccatorum. Quomodo autẽ ſeruus? ſecundum humanitatem. Nunc autem quia diuina & humana Natura copulatæ ſunt in unam perſonam, & Chriſtus reuera eſt Deus & homo, ideo dicitur eciã filius Dei ſeruus noſter. Ergo recte & diuinitus opinor factum in Grammatica, ut quædã uocabula dicantur cõcreta quædam abſtracta, ubi infinita ſunt inuolucra diſputationum de concretis, & abſtractis, & credo ea nunquam terminari poſſe, etiam in philoſophia & creatis, an ſit aliquid abſtractum, ut cum albedinem dico reuera nullum album, uel

E 4 ſubiectum

subiectum dico. Sed albedo separat subiectum, quod postea coniungit & connectit album ex subiecto & separato, uel abstracto.

Sic recte dico diuinitas non patitur, Humanitas nō creat. Hic loquor de abstracto & de separata diuinitate. Sed non hoc faciendum est, non separanda abstracta sunt, alioqui fides nostra falsa est. Sed credendum est in concreto, ille Homo est Deus &c. Hic propria & attributa recte manent.

Humanitas non creat, scilicet in humanitate separata uel seorsim posita si de ea sola loquimur. Sic econtra diuinitas non moritur. Ideo hoc loco de abstracto tacendum est prorsus, quia fides docet hic nullam esse abstractionem, sed concretionem, coniunctionem, & copulationem utriusq; Naturæ.

Quapropter de hac re loquendum est ut de concreto. Filius Dei conseruat omnia, Filius Virginis conseruat cœlum & terram. Filius Dei moritur, patitur, Filius uirginis moritur, patitur. Sic loquitur scriptura, quod diligenter obseruamus ut hoc loco seruus, dicitur, exaltari &c. Nam

Nam Natura seorsim sumpta est ser-
ua. Sed eadem est coniuncta cum diuina
ergo eadem persona uocatur filius, &
æqualis Deo in humana Natura, non
per se uel seorsim sed in illa concretio-
ne, de qua dicuntur omnia. Quæ pos-
sunt dici de diuina Natura, dicuntur in
concreto & de altera scilicet unita in
eandem personam.

Hæc sunt ipsius scripturæ, non no-
stra, quia uocatur Brachiū Domini fi-
lius Dei, sed quia est unitus cum Natura
humana, recte dicitur ascendere, mori,
pati, &c. propter illam unionem. Hæc
ubiq; diligenter considerentur in Pro-
phetis, ubi simpliciter de Christo loqui-
tur scriptura, ut de homine, tribuens ei
omnia humana, humanas passiones, &
quæcunq; possunt de ea Natura dici, eti-
am de peccato (Sed nō personaliter, quia
in hanc non cadit peccatum) non secun-
dum abstractionem, Sed concretionem.

Stulte igitur & ridicule Nestorius
quærit, Quomodo Deus potest nasci &
concedit sane Christum esse filium DEI
claris uerbis dicens, Deus non est Bitris,

E 5 id est.

id est, bis natus, non habet duas Maiefta-
tes, sed semel natus. Nos uero dicimus
Christum natum de uirgine, sed DEVS
non potest nasci: Sic Diaconus eius
clamabat coram populo, Non tu iudex
crucifixisti Filium D E I, quia non po-
tuit crucifigi.

Populus nouo sermone est attonitus
cum haftenus audiuiſſet ſuos Episcopos
ex ſcriptura docentes 1. Corinth, 2. Nun-
quam Dominũ gloriae crucifixiſſet Hũc
Diaconum ſequitur Neſtorius, Sed con-
tra hũc Synodus Chalcedonenſis pie, ut
ſupra dixi, decreuit uere dici uirginem
θεότοκον, ut etiam in ſuperioribus ſcrip-
toribus legebatur, quia peperit non ſe-
paratum hominem quaſi ſeorſim ipſa
haberet filium, & ſeorſim Deus ſuum fi-
lium. Sed eundem quem ab æterno De-
us genuit, peperit ipſa in tempore. Habet
ergo duas natiuitates, & eſt Bitris ſeor-
ſim habens ſuam ex patre, & ſuam ex ma-
tre, & tamen eſt idem filius.

Ergo uirgo non tantum eſt mater
Chriſti, ut concedit Neſtorius hoc uerbo
ornans ſuum uenenum, Sed filij Dei,
quidem paſſus, crucifixus, mortuus eſt,
Sicut

Sicut dicit angelus, quod ex te nascetur
uocabitur filius Dei.

Hæc dico ad confirmandam fidem
nostram cōtra Sathanæ præstigias. Nes-
torius facit duas personas, duos filios,
alterum natum ex uirgine, alterum na-
tum ex Deo, cum dicit, non crucifixisti
filium Dei, sed filium uirginis. Hæc non
possumus pati sed docemus concreti-
onem & unionem in eandem personam
& filiationem, quod idem sit uirginis &
patris filius.

Quidquid ergo de filio dicitur,
idem dicitur de homine, uel humana na-
tura in concreto. Ita hic propheta con-
iungit utrunq; est Brachium Dei, & fili-
us Dei, & tamē ait, ascēdit quod est pro-
prium naturæ humanæ, & nihilominus
idem etiam diuinæ tribuitur. propter
concretionem, quia est unū Brachium,
non duo, & eadem persona.

Ascendet ut uirgultum &c.

Patres parum nos adiuuant. Lyra ex-
ponit de beata uirgine non hume-
ctata aut foecūdata semine uirili. Res
uera est

uera est & certa, sed non in loco dicitur.
Non enim uidetur Propheta hic loqui
de Natiuitate Christi secundū carnem,
hoc uocatur proprie nasci. Manebimus
ergo in hac Enarratione, sicut cœpimus,
quod Christus etsi esset in forma Dei ex-
altatus, tamen non ostendit se esse ta-
lem Dominum, qualis erat, crescebat &
ascendebat ut alius homo, & tamen erat
Rex Regū, Christus gloriæ, & Maiesta-
tis, de quo tota scriptura dicit constitutū
esse dominum omnium Psal. 8. omnia
subiecisti sub pedibus eius. Imo etiam
dominus angelorum Ephe. i. q̄a clare di-
cit constituisti eum super omnia opera
manuum tuarum, Also sol eh̄rs auch
heissē secundum Naturam humanam.
Sed tantum secundum concretionem ut
etiam angeli omnes adorent, flectant
genua illi filio uirginis sugenti ubera, &
dicāt tu es creator & dominus. Ideo pu-
ro Sathanam ipsum in principio Alco-
rani sese prodidisse & manifestasse, cum
scribit initio libri, Ideo Diabolos protru-
sos esse in infernū, quia noluerint ado-
rare Adā. Hæ uere sūt uoces per Maho-
met significātis se fuisse in cœlo, uidisse
in uerbo

in uerbo DEI, & speculo diuinitatis fore
ut aliquando incarnaretur filius Dei, po-
stea illius reordatum cœpisse persequi
hominem statim conditum, quia uide-
bat hanc naturam aliquando adoran-
dam. Hoc detrectabat facere nimia in-
flatus superbia, uidit alios angelos liben-
ter adoratuos etiam si quam inferiorem
naturam induisset filius DEI. Sed ipse
præ nimia superbia non uoluit sic hu-
miliari, uidetur id ei nimis absurdum.
Ergo recte dicitur Naturam humanam
adorari nō in abstracto, sed in concreto,
quia est una persona, ut non possis ado-
rare Deum, quin adores hominem. Hoc
est quod dicit, ascendit illud Brachium
secundum Naturam humanam.

Hoc ascendere dicit propter assum-
ptam Naturam, non tamen quod sic
ascendat sicut nostri Reges & principū
filij. Quam tenere habentur illi, quantus
est succus quo aluntur & ascendunt tan-
quam arbuscula, educuntur splendide cū
summa spe orbis. Sed hic rex ascendit in
summa humilitate, nihil humoris & pa-
stus habet, nulla fomenta quæ alant hanc
arbozem

arborem infinita, quæ debet esse Do-
minus coeli & terræ, puer est miser, & ali-
tur maternis uberibus, parentes eius ægre
tantum acquirunt manibus, ut pascant
corpus huius pueri, postea adultus, est mi-
serrimus, contribuunt mulieres ut alatur
esurit, sitit &c. Num hoc est ascendere,
uel educari ad Regnum? Hic non oportet
educari futurum Regem, sed paula-
tim assueferi ad geniculationem seruo-
rum & populi &c. Sed ille seruus glo-
riosus, & excelsus quomodo ascendit uel
surgit: ut radix plane arida, & mortua,
ubi aret & sitit terra, ubi nihil prouenire,
nihil crescere potest, ut surculus non cres-
cit sine rigatione & humectatione tan-
tū in siccitate & ariditate. Et terra Ziah
uocatur proprie talis. Vt psal. 107. ponit
terram in falsuginem, Terram Ziah in
exitus aquarum, in aquosa, arida, ubi ni-
hil potest crescere, ut in sterilibus, areno-
sis & desertis, uel petrosis, ubi nihil nasci-
tur, quia humor deest ut dicit in Euāge-
lio, de semine &c. Sic nascetur ille & sur-
get in loco non humido uel terra spera-
bili, *da es doch ein schein hette*, ut Regū
filij, qui mox purpurati & torquati in-
cedunt

cedunt stipati, & audientes gloriosas uo-
ces, habemus regem uel principem sum-
mæ spei. Sed quid hic enascitur? Sic ego
simpliciter intelligo, loquitur enim nūc
de Seruo exaltando de Rege (non de
Natiuitate personali ex uirgine) & ta-
men nulla apparet forma, aut spes reg-
ni. Infans recens natus statim appetitur
ad necem, exulare cogitur, & fugere He-
rodem. Hæc est Grammatica. Sicut uir-
gultum, leneck, æquiuocum est, eodem
modo significat surculum & infantem,
& ut Germani multa uocabula ex Ebræo
habent, ita etiam hoc puto nos habere,
Junger Jung, quod etiam de surculo
dicimus ein **Jung Keiss**. 70. Interpretes
uerterūt infātem, quia adeo simile uoca-
bulum est, ut nisi circumstantia dederit
& seorsim ponatur, non possit discerni,
nisi quod hic Metaphora est ex Infante,
& non est adiectiuū, ut germanis **Jung**
est, Sed substantiuū significans utrumq;
ut nobis **Nagel** æquiuoce significat un-
guem & clauum, Sicut & Ebraico more
eodem modo & lactentem seu paruulū
& Racemum, ein **Jungen Rebē**. Diligē-
ter autem cauit Esaias ut intelligatur de
surculo

furculo, quia addit radix de terra siti-
ente.

Vidimus eum, &c.

NON sum Ebræus. Hoc est quod
dixit furculus sine gleba, & humo-
re arefcit, moritur, ita ille est tanquam
non habens humorem sine specie & spe,
simpliciter in hoc omnia sunt despera-
ta. Inuenitur hic Rex in præsepio uili,
exulans in Aegypto, contemptus a suis
sicut in Ioanne dicitur. Quid auditis
eum, infant. Item, dæmonium habet
Samaritanus est, Item homo peccator,
amicus publicanis, post capitur, flagel-
latur, crucifigitur a suis, hoc uere est fur-
culum esse sine humore & gleba, hæc est
Dei natura. Sic plantat ipse preciocif-
simum furculum, suum Regem, filium
Dei in terra arrida, quid inde quæso fiet:
quid nisi quod ex sterilissimo solo. Non
loquitur autem de forma indiuiduali
seu personali, alioqui enim fuit sanissi-
mo corpore, cōstitutione & uiuacissimis
sensibus. Sed de forma, qua gessit se a
principio natiuitatis, & in passione
compræhensa, qua fuit cruentatus & la-
ceratus,

ceratus, in qua tamen manebat forma
corporis non monstrosa, Non est speci-
es, neq; decor, non sese gerit ut Regem
decet, non est ornatus ulla pompa, non
uersatur inter purpuratos, non cum Sa-
cerdotibus, Pontificibus, &c. Sed cū in-
fima & maledicta (ut ipsi aiunt Ioan. 7.)
fece populi, non fulget gemmis, & auro,
Sed miser est & pauper sine opibus &
splendore ullo, Est unus ex miserrimis
de extrema fece generis humani. An non
hoc esset scandalosum illi populo? Est
contra legem, Leprosus debet uitari ut
epulo uitat Lazarum, non admittit ad
mensam, tanquam reprobum coram
Deo, quia Moses præcipit non tantum
de leprosis, uerum etiam de omni uici-
osa pecude, & sacerdotibus interdicit
tot uitis quæ possunt cadere in hominis
corpus, ut in pecudis. Hæc omnia sunt
immunda, & uitanda secundum legem.
Ergo hic multipliciter peccat, & scanda-
lum grandescit, in uita & conuersatione
non abstinet a Leprosis, patitur se tangi
ab hæmoroissa, a peccatrice. Qualem
ergo Regem habent: illum qui non so-
lum est miser & contemptus, sed etiam
F se polluit

se polluit sponte omni genere immundiciarum, ut nullus gentilis sit magis pollutus, etiamsi esset summus & speciosissimus Sacerdos. Hoc est quod Propheta ait. Vere Deus absconditus tu es. Quid magis absconditur, quam hoc brachium Domini, & hic debet illud ipsum esse, & est homo infirmus & immundus. Hæc non solum sunt contra rationem & naturæ sensum, sed & contra legem Mosi. Naturæ repugnant, quia surculus in arido non crescit, nunc addit etiam transgressionem legis, quod polluitur, non abstinet, nec uitat uitandos, & non seruat legem Mosi, soluit Sabbatum. Item carnem suam uult manducari, *machts zu gar vnese* / & tamen talem ait surgere & crescere, etiamsi obrutus sit tam deformi specie.

Vir dolorum & nouissimus uirorum.

Pergit Propheta describere seruum illum Domini, qui brachium Domini, & Filius DEI in uirtute, ac ait, quod sit nouissimus uirorum, uir
dolorum

dolorum, & cuius nomen sit abscon-
dens ab eo facies, contemptus & non
reputauimus illum.

Hæc omnia adhuc pertinent ad illam
formam contrariam regie formæ, qua
debit magnificari Rex ille promissus,
Rex tantus, tam sublimis, non conuenit
ei, ut sit nouissimus & despectissimus ui-
rorū, & talis, a quo auerteret omnis ho-
mo faciem suam. Et tamen isto modo
debet crescere & regnum accipere, ut cre-
datur in istum hominem despectissimū,
miserrimum, Imo post etiam crucifixū,
am. Ideo dixit, Quis credidit auditui
nostro? Iudæi equidem non potuerunt
intelligere, quia somniarunt politicum
regem fore, & nos Christiani uix appre-
hendimus.

Vere languores nostros ipse
se portauit, &c.

Matthæus hoc non intelligit de
propria passione, qua effudit san-
guinem illo die quo obtulit se in
cruce. Sed de tota sua conuersatione quo
per totam uitam compassionem habuit
propter morbos & languores nostros.

F 2

Hic

Hic nunc uere de passione agit, qui est uulneratus etiam in morbo. Nolo recedere a Matthæo, qui hoc præcedens intelligit de compassione, scilicet, Languores nostros, &c. Quanquam autem illa sit compassio, non uera passio, tamen sine dubio illa compassio fuit magna, si non tota pars passionis Christi, sicut in Psal. 88. dicit Pauper sum ego, & in laboribus a iuuentute mea.

Non fuit tristis aut sæuerus homo, sæuus aut crudelis, sed in laboribus, angustijs, & doloribus saltem cordis toto uitæ tempore fuit, sæpe fleuit, ingemuit, in tota uita exagitatus est acerrimis doloribus, Non dubiū est quin toto tempore uitæ fuerit humiliatus, afflictus doloribus, & languoribus nostris uehementer adfectus. Nostri dolores, nostræ opprersiones a Diabolo ortæ, fecerunt ei continuam crucem die ac nocte. Huius rei multa extant exempla in Euangelio, ut Marci 7. Cum adducitur mutus & surdus semouit eum a populo seorsim, & suspiciens in Cœlum, ingemuit dicens Hepethah. Item Marci 3. Cum ita laboraret

raret misericordia, & affectu erga paupe-
res & afflictos, ut non ederet nec biberet,
dicunt ipse ad insaniam adigetur, quia
uiderunt eum attentum in languoribus,
atq; miseris hominum, adeo ut nec ci-
bo nec potu delectaretur, Et in cœna ad-
monens Iudam, infremuit, quare: super
Iudam compassus, condolens eius per-
ditioni. Ita resuscitans Lazarum cum ac-
cessit ad sepulchrum infremuit, & la-
chrimatus est Iesus, inquit Euangelista.
Non profecto putandum est, quod fue-
rit aliquis fucus, quod facit & loquitur
hæc persona. Misericordia afficitur, uel
ut Euangelistæ loquuntur *σπλαγχνίζε-
ται*, compatitur, condolet, affligitur pro-
pter nostras miseras & dolores, quia nos
uidet a Diabolo horribiliter oppressos
esse.

Affectus misericordiæ etiam apud
gentes tractatur, is non caret sua uehe-
mentia. Est enim misericordiæ affectus
tam uehemens, quam est iræ affectus.
Mater per ignem medium currit, uidens
puerum suum in periculo uersari. Sic
etiam in sancto & puro homine, scilicet
in filio Dei, talis fuit affectus, hoc est, ue-

hementissima misericordia. Dolores ergo & miseras per compassionem tulit, quia durauerunt toto uitæ tempore, usque in sepulchrum, non amisit eam misericordiam in cruce. Sicut Epistola ad Ebraeos 5, inquit, Obtulit preces cum lachrymis, cum dixit, Dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt. Ibi fuit maximus gemitus, ad quem Coelum & terra contremuerunt. Sic igitur expono hunc locum secundum Matthæum de compassione, quanquam etiam de passione intelligi possit, ut inferiora declarant, Portabit iniquitatem tuam, Estque hæc phrasis in sacris literis frequens. Iudæi deprauant hunc textum, qui totum hoc caput exponunt de populo collectivè, non individue de uno illo homine saluatore generis humani. Obserua autem singulas particulas, & uidebis, non esse uerum & genuinum sensum. Sperant Iudæi, quod sint futuri sublimes, exaltati, clari, uerum nondum adhuc factum est, nec fiet unquam.

Non enim sunt brachium Domini, item uirgultum ascendens in terra siti-
enti. Sunt quidem abiecti & despecti, sed
tamè de ipsis hæc intelligi non possunt,
quæ

quæ hoc loco Propheta incipit dicere
languores nostros ipse portauit. Item
paulo inferius, peccatum non fecit, nec
dolus inuentus est in ore eius. Item pro
transgressoribus orauit, & peccata mul-
torū tulit. Diabolus blasphemauit Do-
minum nostrū Iesum Christum per Iu-
dæos deprauantes sic scriptores etiā inter
Christianos. Lyra quendam uocat An-
dream qui Iudaisauit & Thomas Aqui-
nas, ij istum seruum populū exponunt.
Sed textus non potest intelligi, nisi de
una p̄sona Messia, Sic translatio Chal-
daica & ueteres Rabini astipulantur.
Alij fingunt duos Christos, unum glori-
osum, alterum humiliatum, dicunt eum,
quē hoc loco describit Esaias, intelligen-
dum esse pro humiliato, qui in urbe Ro-
ma lateat, & agat p̄nitentiam. Alij ex-
ponunt collectivē de toto populo Iudæ-
orum ut nunc est, quasi sit seruus con-
temptus & despectus, sed impudenter
mentiuntur. Ipsorum Principes, Reges,
Papæ fuerunt sublimes, si non in regio
honore, tamen in maiore dignitate &
honore fuerunt, quam ueri Christiani
qui egent, ac persecutionē patiuntur.

Quare nihil est ipse tulit, scilicet populus Iudaicus. Istam humiliationem, inquiunt non meruerunt suis peccatis, quia ipsi sunt populus iustus, sanctus, a Deo dilectus. Quare ergo patiuntur? Sunt uiri dolorum, infirmitatum, abiecti, despecti, quia uiuunt inter gentes. Nōne hæ sunt uirulentæ blasphemix & uenenatissimi morsus Diaboli. Inteream aliquando, cum interrogaretur Iudæus quare ita paterentur. Respondit ideo, quia maiores nostri passi sunt Christum & Apostolos ire in Templum, & non statim occiderunt eum. Item quod Iudæi Christum & Apostolos non satis persecuti sunt.

Item, quod uiuimus, inquiunt, inter sceleratos homines, ita polluimur uestris peccatis, qui estis digni inferno & omnibus mortibus. Ita exponunt hunc locum Iudæi, Lyra allegat Rabbi Salomonem ac interpretatur hoc modo. Quando Messias exaltauerit Populum Iudaicum & fecerit sublimen, tunc dicent gentiles, Ecce quomodo populus iste sublimatus est. Ergoq; hætenus ita humiliatus fuit, id fecerunt peccata nostra.

stra. Sed hæc ualent ad confirmationem
fidei & doctrinæ nostræ. Sic enim ipsi
in terra Canaan meruissent hanc capti-
uitatem, siquidem habitabant inter ido-
latras. Item in Aegypto. Item nos chri-
stiani habitamus in medio Diabolo-
rum, Turcorum. Ergo dicamus quod
hæc causa sint dolorum & mortis, quod
habitamus inter tales.

Horribilis ira Dei est in istum popu-
lum. Quantus autem lapsus est, quod
doctissimi inter eos sic docent. Ergo ti-
meamus Deum, eiq; toto pectore grati-
as agamus pro hac luce, quod Christum
Filium Dei agnoscimus saluatorem &
redemptorem, oremusq; Deum, ut nos
in hac cognitione Filij sui conseruet, ne
cum Iudæis, Turcis & Papistis Filium
Dei contumelia afficiamus, ac in æter-
nam DEI iram ac perpetuos crucia-
tus incidamus.

Et ipse propter transgressio-
nes nostras, &c.

Hic iam incipit Propheta describere
ueram passionem Domini nostri

Iesu Christi, uide autem quam egregius
sit hoc in loco Propheta, illud brachiū,
Inquit, Domini, quod ita sublimabitur,
super quo Reges continebunt os suum
&c. Deus est non solum compassus no-
biscum maximis doloribus, sed etiam
passus est propter transgressiones no-
stras, & contritus est propter iniquitates
nostras. Hæc clarissime descripta sunt, ut
a nullo Euangelistarum, præter Ioannē
superetur. Tres primi Euangelistæ descri-
bunt tantum nudam historiam, Esaias
uero prædicit historiam, causam, fructū,
& usum. Ipse uulneratus est, Hæc etiam
Matthæus recenset, sed Esaias ostendit
causam propter quam passus est, quia
scilicet peccauimus, nec potuimus ipsi
nos a peccato, morte, & potestate Dia-
boli liberare, &c. Qui fructus? ut libera-
remur ab omnibus peccatis nostris. Usus
ut agnoscamus eum Dominum ac Re-
demptorem nostrum, & credamus in
eum, ac per fidem in nomine eius æter-
nam uitam consequamur.

Tantas res tam breuiter & perspicue
hic tradit ultra compassionem etiā ue-
ram passionē describens.

Cogita

Cogita autem an non magna hæc humiliatio est: quod Dominus angelorum percussus, afflictus & passus est. Et quidem, quod horribilissimum est, sustinuit iram Dei.

Furor enim Iudæorum, Diaboli & gentium in oculis impiorum nihil aliud est, quam instrumenta Dei, quibus ipse Deus percussit & puniuit Christum. Supra uocauit eum Propheta nouissimum uirorum, contemptum, &c. Sed hic iam uidemus eum cæsum & percussum a Deo, ideo Iudæi, eum in cruce penderet, hos sarcasmos addunt, si Filius Dei est descendat de cruce. Indicant enim eum prorsus a Deo abiectum esse, siquidem tam misere affligatur, quod non accideret, nisi ipse has pœnas meruisset, Nam secundum legem Mosis iudicatur maledictus qui pendet in ligno. Igitur ita cogitarunt Iudæi, Crucifixus est Christus, ergo maximus & blasphemus seductor est, item pendet in cruce, ergo est maledictus, nosq; iustissime facimus, quod eum cruci affiximus, &c.

Ita Deus mirabili consilio per brachium.

chium suum Dominum ac redempto-
rem nostrum Iesum Christum, maledi-
ctionem totius legis sustulit. Erat perso-
na benedicta & sancta, ac nullo peccato
contaminata sicut Esaias ait, peccatum
non fecit, nec est inuentus dolus in ore
eius. Ego nihil in eum iuris uel lex, uel
mors habuit.

Sed crux & afflictio per eius inno-
centiam sanctificatae sunt. Sic in seipso
euacuauit uniuersam legem cum male-
dictione, ac peccatum, mortem & infer-
num sustulit, absorpsit & extinxit, Colo.
2. Hoc uero tam mirandum Dei consi-
lium, non Iudaei solum, uerum Apосто-
li etiam ignorarunt. Sed Propheta hic
maxima praedicat, quod ille Rex gloriae
passus sit, non solum intensiue, quod
ualde ei doluit, sed etiam extensiue quod
amittit famam, quod non sit iustus, Fi-
lius Dei, sed cum iniquis reputatus, qui
patitur testante conscientia iram Dei.

Hoc uere magnum est, Christus
iram Dei plus sensit, quam ego & tu,
nec est fucus, aut simulatum quiddam,
quod in hac persona geritur.

Irām

Iram Dei ita sensit, quasi derelictus
a Deo esset, & pateretur propter iram
Dei, ideo clamat, Psal. 21. Deus Deus
meus quare me dereliquisti, & Psal. 8.
Derelictum eum fecisti paulo minus ab
Angelis. Certe hic sensit iram Dei, & ma-
gis quam ullus homo. Quin etiam in-
fernalem poenam sensit, praesertim tener-
rimum natura & conscientia innocens, &
quando Deus non adiuuat sequitur
desertio, ut hic derelictus est. Igitur Dia-
bolus summis uiribus cum eo agit, nec
dubium est, quin talia ei suggererit.

Ecce communicasti cum adulteris,
publicanis & peccatoribus, fuisti inobe-
diens summo Pontifici, &c. Nouit enim
Diabolus etiam optima opera in pecca-
ta mutare. Ac fuit in horto cum eo,
quando sanguineum sudorem emisit,
& sine dubio grauissime eius cor saucia-
uit. Ista est uilissima passio & ignomi-
niosissima, quod moritur pro alienis
peccatis innocentissimus, & tamen non
pro unius hominis peccato, sed pro uni-
uerso genere humano. Haec tantum sunt
credibilia, Ideo ait Propheta, Quis cre-
didit

didit auditui nostro: Tu Christe uis esse
Rex, & hominum Saluator, ego, inquit,
te saluabo. Sed audi faciens & consenti-
ens pari poena plectuntur, tute cum pec-
catoribus conuersatus es, Sanctorum &
Pharisæorum, & scribarum consortium
uitasti, locutus es contra legem, &c. Ergo
es immundus & damnatus. In desertio-
ne hæc Diabolus egregie exaggerare no-
uit, quod tanta persona talia, tanta &
tam horribiliter omnibus modis pati-
tur, omnia uoluit exhaurire quicquid est
peccatorum, mortium, morborum, ca-
lamitatum, &c. Ideo ista non possunt
satis inculcari. Persona infinita est, ergo
etiam factum & passio infinita.

Ipse percussus est a Deo non solum
illa specie, qua conuersatus est cum ho-
minibus, qui reputarunt eum nouissi-
mum uirorum. Sed ista passio etiam de-
clarat certissimo argumento eum esse in
odio Dei.

Ista tela ignita nos perpetuo sensis-
semus, si non extinxisset ea in suo corde
sanguine. Hinc, ait autor Epistolæ ad
Ebræos

Ebræos, habemus Pontificé per omnia tentatum, &c. Nemo potest idem pati, quod Christus passus est, nulla passio est maior in ullo sanéto, quæ non maior sit in Christo. Nam propter peccata nostra uulneratus est, & propter iniquitates nostras contritus.

Disciplina pacis nostræ super eum & liuore eius sanati sumus.

Petrus recte allegat causam passionis Domini nostri Iesu Christi, causa est peccatum nostrum, fructus, pax & sanitas nostra. Non enim erat nobis ulla salus uel pax, sed ab omnibus mortibus, peccatis, conscientia, potestate Diaboli liberati sumus per Christum, hæc omnia absorpta sunt in hac persona, hic redditur nobis pax & salus, & nihil hic requiritur a nobis nisi ut credamus. Est autem hic obseruanda Prophetica tautologia. Geminatio enim sententiæ, est mos sacræ scripturæ, disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius nos sanati sumus.

Bis

Bis idem dicit alijs atq; alijs uerbis
quod ipse castigatur, quod accipit liuo-
rem, Idem est disciplina & liuor. Quare
autem hæc facit & sustinet, ut sit nobis
pax, quare liuores: ut sit nobis salus, non
patitur tantum propter peccata, ut fit,
quando aliquis innocens cum alijs fon-
tibus rapitur, & alijs nocentes euadunt,
ille solus plectitur, non propter sua pec-
cata, quia nihil fecit, sed quia deprehen-
sus fuit inter cæteros fontes, alijs tamen
non euadunt reatum. Sed quando capi-
untur, multo grauius puniuntur quam
iste innocens. Sed Christus sic patitur, ut
alijs, scilicet, nobis sit pax & salus. Istius
passio, qui inter fontes deprehenditur,
& ad mortem rapitur, tantum est pœna.
At Christi passio, qui inter nos peccato-
res comprehensus est, longe est alia dis-
ciplina, quæ non solum propter peccata
nostra infligitur ei, sed nobis quoq; pa-
cem operatur, & tollit non solum rea-
tum peccatorum, uerumetiam impetrat
& largitur nobis pacem & salutem, Hæc
est propria & principalis uirtus & actio
passionis Christi, ut nos a reatu & mala
conscientia liberemur & habeamus pa-
cem bo

cem bonæ & lætæ conscientiæ, & ita, ut
non amplius perturbet Persona quidem
est æterna & infinita, cuius etiam una
guttula satis fuisset ad saluandum or-
bem terrarum. Tanta enim & tam inæ-
stimabilis est dignitas personæ, ut totus
mundus non conferendus sit ad unam
guttulam sanguinis, & tamen si una
gutta tantum funderetur, hæc liberaret
totum orbem terrarum. Est enim Filius
Dei, ideo dici debet Liuor, castigatio Fi-
lij Dei, non Prophetæ, non Patriarchæ,
Angeli, precium nimis grande est, copi-
osus est Christus redemptor, copiose
pertulit colaphos, uerbera, sputa, alapas,
Imo tristitiam & dolorem in corde usq[ue]
ad sanguinem. Copiosum precium est,
nec habemus causam desperandi, om-
nia patitur propter peccata nostra in
hunc finem, ut pacem & salutem habea-
mus, liuore eius sanati sumus 1. Petri 2.
Ideo hic posset exponi cum dicit casti-
gatio seu disciplina pacis nostræ, id est,
castigatione eius nobis est pax, Liuore
eius contingit nobis sanitas, id est, salus,
Euangelistæ non sic loquuntur de passi-
one Christi, excepto Petro & Paulo.

G Omnes

Omnes nos quasi oues erra-
uimus, unusquisque in uiam suam
declinauit, & posuit Dominus in
eo iniquitatem omnium no-
strum.

Hic se turpiter dant Iudæi, qui di-
cunt de populo captiuo intelligi,
qui sit uulneratus propter nostra,
id est, gentilium peccata. Exponunt
enim ita hunc locum, Tempore Mes-
siae cum uenerit, & glorificauerit popu-
lum suum Iudaicum, uos gentes dicetis
sic. Quare humiliamus istum populum,
qui uulneratus est propter peccata no-
stra, Sed audi quid Propheta dicat, Om-
nes nos errauimus. Si dicerem, ut Eunu-
chus Acto, 8. de quo loquitur Propheta:
de quibus loqueris, cum ais, propter iniquitates
nostras liuidus factus est, de quibus inquam
loqueris? Respondet Iudæi, non de om-
nibus, sed de aliquibus peccatoribus, non
de populo Iudæorum, in quo multi sunt
sancti haud dubie. Verum Propheta hic
satis testatur, se loqui de omnibus, ut &
alibi, Et non est inuentus qui sit iustus, om-
nes pec-

nes peccauerunt, quasi dicat, non de pec-
catoribus publicis, meretricibus, publica-
nis, sed de omnibus sanctis, etiam in po-
pulo Dei, qui uerbum Dei habet, est uera
Ecclesia, loquitur, quia nullus sanctus ex-
tra Christum. Ita Propheta haurit uno
uerbo uniuersum genus humanum, ex-
cepto Filio Dei Domino nostro Iesu
Christo, ut nemo gloriatur in uirtute, iu-
sticia, sapientia sua, omnes quorquor de
genere Adam propagati sunt, etiam si
uocantur ad sanctitatem & regnum coe-
lorum. Ioan. 1. De plenitudine eius nos
omnes accepimus gratiam pro gratia,
quia lex quidem per Mosen data est, hoc
scimus, sed fecit tantum iram & Hypo-
crisim. Gratia aut & ueritas per Chri-
stum facta est, Non solum data est lex ad
cohercendum, sed ut cogeret ad filiū Dei,
brachium illud Domini, quod caesū est,
& liuoribus plenū, lex non ad gratiam et
ueritatem data est, Est quidē lex ueritas,
iusta, bona, sancta, Rom. 7. Sed nō cōfert
salutem, graciā & pacē, nō tollit peccata
nostra. Ideo oportuit Christū uulnerari,
& pacē afferre cōsciētis sua disciplina seu
castigatione, Christ⁹ inquā p̄ sua uulnera
G 2 inquit.

inquietudinem conscientiae, infelicitates nostras per suam disciplinam abstulit, quia omnes errauimus.

Quid ergo gloriantur Iudaei, se pro aliorum peccatis pati, cum nec sua uiderent, multo minus tollere possint, excantur lege & iusticia, putant se seruare legem, Sed omnia sunt uana & Hypocritica, nulla sanitas, pax, nulla remissio peccatorum, nisi per uulnera brachij Domini. Sicut ouis, inquit, errauimus, unusquisque in uiam suam declinauit. Ouis proprietas est, quam ostendit scriptura sancta Matth. 9. Et erant sicut oues dispersae, non habentes pastorem. Et Ezech. 34. Quod saucij & dispersi mei greges. Ad hoc alludit Petrus, uolens hunc locum explicare.

Eratis sicut oues dispersae, & errantes, sed conuersi ad Episcopum animarum uestrarum, omnes erramus sicut oues, Ibi unusquisque in uiam suam deflexit. At dicis, uia est bona, Audi Psal. 106. ubi inquit uia, cathedra, consilium peccatorum, uia a dextris bona, a sinistris non bona, quia omnes peccauerunt, & in uijs suis errauerunt, omnes sunt quasi oues

oues dispersæ, quæ, ubi semel aberrant,
non audiunt uocem alieni pastoris, qui
uocat eam desertam a uero pastore, non
audit uocem eius, quo plus uocatur, eo
magis errat, ubi uero audit uerum pasto-
rem, mox audit. Sic nos omnes errau-
imus, nullus habebat uiam salutis, ut te-
statur Psal. 14. Non est iustus, non est qui
faciat bonum, ne unus quidem. Omnes
declinauerunt, inutiles facti sunt, contri-
tio in uis. Hic est titulus noster extra
Christum. Ideo digni sunt odio perpe-
tuo Papa, Turca, Iudæi, & omnes qui ex-
tra Christum tot uias inuenerunt. Ego
certe magno studio & contentione ser-
uabam regulam, ieiunabam sæpe usq[ue]
ad ægritudinem & mortem fere, ob-
seruabam statuta stricte, ipse habebam
uiam meam, sic & alij Monachi. Ibi de-
erant uulnera Brachij Domini, non erat
liuor eius, non castigatio pacis eius. Sed
tantum docebamur, quod per opera de-
beremus satisfacere, & sic ex opere ope-
rato de congruo mereri remissionem
peccatorum.

An non horribilis res est, ista propo-
ni in Ecclesia Dei, ubi uox Christi audi-

ri tantum debebat, quod nulla sanitas,
pax, & ablatio peccatorum, nisi per
Christi liuores, uulnera, disciplinam.
Sed hæc prorsus filebantur, & interim
proponerantur nostræ religiones, ope-
ra, Monachatus, &c. De fide in Chri-
stum, de ui & fructu passionis, cænæ Do-
mini, Baptismi nihil prorsus docebatur.
Ego certe summo studio nitebar iustifi-
cari proprijs operibus, non edebam uel
bibebam, non dormiebam, alij non ha-
bebant malam conscientiam, non exer-
cebantur talibus terroribus, ego metue-
bam extremum diem iræ Dei & infer-
num, quærebam undiq; auxilium, in-
uocabam sanctam Mariam, S. Christo-
phorum, & quo plus laboraui, eo plus
Idolatriam cumulaui, non potui Chri-
stum uidere, quia scholastici me sic do-
cuerant sperandam remissionem pecca-
torum, & salutem per nostra opera, Ibi
amisi uulneratum, uidensq; eum, ab-
horrebam a facie eius. Vos igitur, qui
non fuistis in hac horribili ferrea forna-
ce, gratias Deo agite, & grati sitis pro hoc
beneficio ingenti. Manete in concordia
uerissimæ & purissimæ doctrinæ. Est
enim

enim consensus scripturæ & Prophetarum, ut ait Petrus Acto. 10. τουτῶ πάντες οἱ προφῆται μαρτυροῦσιν ἅφεισιν ἁμαρτιῶν λαθεῖν δια τῶ ὀνόματος αὐτοῦ πάντα τὸν πισεύοντα εἰς αὐτόν. Sic ergo ait seruus intelligens. Non est ullus hominum iustus, sed omnes coram Deo rei sunt, ac damnandi, tantum per huius liuores sanati, & disciplina eius salus nobis contingit. Habemus quidem legem, sed lex non dat testimonium, quod sumus in uia recta, sed in ira Dei & agone peccati. Moses est blesus, & habet grauem linguam, facit peccatores & reos, quare non ut peccemus, sed ut confugiamus ad liuoribus percussum Saluatorem, & pacificatorem disciplinatum, ut Petrus ait, Accedendum est ad Episcopum, ipse curam habet sui gregis, gubernat nos per Spiritum sanctum in uerbo suo, & Sacramentis, ut maneamus in uia recta ex uijs collectis, uagis noxijs & infinitis. Vias quidem infinitas habuimus, illum uero disciplinatum, id est, ueram uiam non habuimus. Quid ergo nos gloriamur, nos iustificari posse ex lege. Quomodo enim iustificaremur ex lege, imo

quo magis niteremur & laborarem⁹, hoc magis errabamus, sicut ovis errans a pastore, quo magis uocatur, hoc magis deseritur & aberrat longius. Semper nouæ indulgentiæ, cultus, religiones quæ sitæ sunt.

Sed quocunq; iste liuidus & percussus uenit & disciplinatus, ibi acquiescit cor, & habet pacem, & dicit, propter me Christus disciplinatus & liuidus factus est, ut ego essem sanctus & in pace.

Et posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum, &c.

Pergit Propheta explicare fructum passionis Filij sui Domini ac saluatoris nostri Iesu Christi. Non autem particula (omnis) collectivæ tantum accipienda est, ut aliqui tantum intelligantur non errasse, sed distributivè unusquisq; sigillatim, seorsim neminem enim excipit, nisi qui est in Christo. Et Dominus inquit, fecit in eum concurrere peccata omnium nostrum. Verbum concurrere quod in Ebræo est paga proprie

prie significat obruere, intercedere ut
ad Ephron Abraham Gene. 23.

Ita Christus & portauit peccata nostra, & pro nobis apud Patrem suum intercescit, & uere pro nobis, ut Paulus loquitur, factus est maledictum, ut nos a maledictione legis redimeret. Hoc ut significantius exprimeret Propheta, usus est peculiari uerbo paga, quod proprie & concurrere & intercedere significat. Et Chaldaeus interpres clarius hunc locum exponens sic reddidit, Et complacitum est Domino propter eum nobis omnibus peccata remittere. Hic ergo Christus Filius Dei & Filius Mariæ uirginis, unica persona est, quæ peccata nostra suscepit, & iram Dei propter peccata nostra in se deriuauit, & pro nobis apud Patrem suum interpellauit, & propter quem Pater nobis peccata remittit, & Spiritum sanctum, & uitam æternam donat. Ad hunc ergo confugiamus, & certo statuamus per ipsum nobis Patrem placatum esse, Quicumque enim in eum credunt, liberi prorsus sunt a peccatis, & habent uitam æternam, ut

Ioan. 1, dicitur, Ecce agnus Dei qui tollit
peccata mundi, item dedit potestatem
filios Dei fieri omnibus qui credunt in
Nomen eius, Item Ioan. 3. Sic dilexit De-
us mundum, ut Filium suum unigenitū
daret, ut omnis qui credit in eum, nō pe-
reat, sed habeat uitam aeternam. Item,
Non enim misit Deus Filium suum in
mundum, ut iudicet mundum, sed ut
mundus per eum seruetur. Non ergo
nocere illi peccatum potest qui credit.
Quia hic portat omnia peccata totius
mundi, nullum omnino reliquit, quod
non portauerit, uicerit ac deleuerit, nisi
per infidelitatem meam nolim a me
tollī & mihi deleri. Sic Ioan 16, Spiritus
Sanctus arguet mundum de peccato.
Dominus fecit irruere in eum peccata
omnium nostrum, peccatum porro est
non credere in eum. Iudæi & omnes
Hypocritæ uolunt esse iusti lege. Sed
Euangelium docet, etiamsi habeas to-
tam iusticiam legis, quod est impossi-
bile, tamen nisi adsit fides Christi, manes
sub peccato & ira Dei, nisi in hunc cre-
das, in quem irruerunt omnia peccata
totius mundi nō habebis uitam Ioan. 3.

Qui

Qui non credit in eum, non habebit uitam, & ira Dei manebit super eum. Deus posuerat illum, ut ferret impetum Satanæ, mortis, legis, totius mundi & omnium hominum peccata, peccatum occidit eum, sed eum qui occidi non potuit, occisus secundum natiuitatem carnis, & tamen dicitur uere occisus filius Dei. Non potuit occidi propter illum aculeum in Euangelio, quod ipse Deus uiuus, ut dicit, Ego uiuo & uos uiuetis, Ego quidem morior pro uobis, sed tamen moriendo uitam, quia Deus sum & homo. Mors potest me mordere & occidere, sed retinere non poterit in morte.

Habemus ergo Episcopum animarum nostrarum, qui liberauit nos a morte & omnibus periculis mortis, & dedit pacem & sanitatem per suum liuorem.

Sed quid cogitauit Dominus cum pateretur pro nobis? Num cogitauit de retributione & uindicta aduersus Iudæos crucifixores? non, sed cum humiliaretur inquit Propheta, non aperuit os suum, sicut ouis quæ ad mactationem ducitur. Quando enim ad uictimam protrahitur,

traditur, item quando tondetur non
aperit os, non ædit aliquam uocem, sig-
nificans dolorem suum. Sic noster pa-
cificator, saluator, sanator, brachium
Domini ὁ μορογερης τὸ δεῖν cum puni-
retur, uulneraretur uehementer, quid fa-
ciebat? non aperiebat os, non mutibat,
Sic Petrus inquit, Qui cum pateretur,
non minabatur, non remaledixit.

Ita fideliter exponit Petrus per Spi-
ritum sanctum. Summa est ibi patientia
& innocentia, ne uerbo quidem signifi-
cat cupiditatem uindictæ contra hostes.
Nam cogitatio sua erat de pace & salute
& de peccatis nostris per sua uulnera sa-
nandis, non cogitauit de uindicta &
perditione crucifigentium. Sed de no-
bis liberandis.

De angustia & de iudicio sub-
latus est, generationem eius quis
enarrabit? quia abscissus est de
terra uiuentium propter scelus
populi mei percussus eum.

Describit

Describit Propheta glorificatio-
nem Christi, in quam per mortem
transiturus erat. Non enim ut Iu-
dæi existimabant futurum, in morte
mansit, sed per mortem in gloriam Pa-
tris sui intrauit, Lucæ 24. De angustia, in-
quit, seu de tartaro uel clausura, & de iu-
dicio sublatus est. Ozer significat carce-
rem proprie uel captiuitatem. Est ergo
hæc sententia Prophetæ. Fuit inclusus,
captus & subiectus iudicio, ac condem-
natus publico iudicio, ubi non solet esse
redemptio, uel spes redemptionis, &
non tantum illo iudicio & carcere quo
comprehensus fuit ab Hanna, Caipha,
Sed etiam condemnatus autoritate Dei
& legis iudicium tulit, & captus & sub-
iectus. Nos, inquiunt, habemus legem, &
secundum legem debet mori, quia Fili-
um Dei se fecit. In hoc etiamnum persi-
stunt reus est mortis, uos ipsi audistis te-
stimonium, quid indigemus testibus,
dicit Filium Dei uenturum cum pote-
state magna, quia scriptum est, Non ha-
bebis Deos alienos, Filium Dei se fecit,
Ergo est blasphemus contra Deum, &c.
Ita speciem habet apud Iudæos, & se si-
ne du

ne dubio multis textibus sacrae scripturae ornarunt, ut quod accusant eum, quod Sabbatum non seruaret, communicaret cum peccatoribus & immundis hominibus, non sacrificantibus &c. Sic condemnatus est ab his quorum summa potestas erat autoritate Dei Deu. 17. Qui non audierit sacerdotem auferes malum de medio tui.

Quamquam erat Dei Filius, Dominus omnium, id quod Cayphas & alij ignorabant, homo factus, ut fieret maledictum sub lege, ut eos qui sub lege erant, a maledictione legis redimeret, ac uoluit subijci legi Dominus ipse, qui eam dederat, tamen excepit Mesiam, ac mandauit ut illum susciperent.

Ideo non sunt excusabiles per illam ignorantiam quia uiderant, audierant, palpauerant ipsum Filium Dei, & facientem talia miracula uno uerbo, quae impossibile erant fieri humana uirtute, Sicut ipse ait, Opera quae facio testimoniū perhibent de me, si mihi non uultis credere, operibus credite. Ergo non sunt excusandi principes Sacerdotum, & alij qui Filium Dei Dominum nostrum Iesum
Christum

Christum crucifixerunt. Et tamen iudici-
um eorum erat sacrosanctum, summæ
autoritatis, quia secundum legem Dei
damnari sub ista specie magna res fui-
set, si homo purus fuisset. Simpliciter
enim ualuisset hæc sententia, & transisset
in ré iudicatam. Sed erat Deus & homo,
Ideo dicitur sublatus ab illa clausura le-
galiter instituta. Eum necesse est alium
uirum esse, qui non amplius subiectus est
huic potestati ciuili in ueteri lege, Eccle-
siasticæ potestati, & iuri ordinario sacer-
dotû, ut Cayphas & alij gloriabantur se
habere ius & ordinariam potestatem, si nō
occidimus eum, peccamus in Deum, &
sumus in obediens legi & Mosi, secūdū
quem oportet hunc mori. Item Ioan. ii.
Ne forte Romani ueniant, scilicet, si nō
occiderimus istum rebellem & blasphe-
mum. Allegabant suam iusticiam, ius,
ordinariam potestatem. At ipse fuit ue-
rus Dominus legis, & omnium iurium
& potestatum. Et tamē uoluntarie sub-
iecit se, cum non esset reus, ut nos redi-
meret, qui conclusi eramus sub lege, Ga-
la. 3. Ideo ipse prior se inclusit, ut erum-
peret & aboleret illud iudicium & clau-
suram uel angustiam. Aliam

Aliam uitam nunc uiuit ille Do-
minus uictor & perruptor inferni, mor-
tis, legis. Hæc est abrogatio legis, quæ ad
aliam uitam & principatum spectat.
Diruptis claustris, legibus inferni, pec-
cati, mortis abstulit totam legem, uiuit
in alia libertate duriore, Fuit sub clausu-
ra, sed raptus transijt in aliam uitam seu
mundum. Sic mortuus est, ut non peri-
ret, sed sublatus est in aliã uitam. Quid
illic est: de angustia sublatus, & sic qui-
dem generationem eius quis enarrabit?
Nemo potest eloqui uitam quam ince-
pit. Dor generationem significat, Hiero-
nimus disputat de generatione, an lo-
quatur de diuina ex patre, uel de huma-
na ex uirgine. De hac origine diuinæ
uel humanæ non loquitur, sed ut alibi
loquitur scriptura, a generatione in ge-
nerationem narrabo opera tua, item be-
ata Maria uirgo. Beatam me dicent om-
nes generationes, id est, illa duratio, in-
telligenda uita est, quæ durabit, non ta-
men de humanitate aut diuinitate, sed
de suo regno. Raptus est ex illa seruitute
temporali, qua humiliatus erat infra an-
gelos, Triginta annos iuit in terris in
seruitute

seruitu te legali, & fuit seruus, ut supra di-
citur, Ecce seruus meus? sed ex illa serui-
tute breuissima & temporali licet acer-
bissima raptus est, & positus in domini-
um, cuius nullus erit finis, Esaia 9. Re-
gni eius non erit, Et Lucae 1. Et regnabit
in domo Jacob. Hæc est illa generatio,
Non scribetur aut dicetur, Christus pas-
sus & resuscitatus pro nobis, sedebit aut
regnabit mille annis, uel tot & tot an-
nis, sicut de politicis Regibus dicitur,
non sic numerabuntur anni, Sed ut di-
citur in Psalm. 102. Tu autem permanes,
ipsi peribunt, & anni tui non deficient,
eius regni non erit finis. Fuit quidem
in seruitute clausura & morte, ita ut eti-
am descenderit ad inferos, sed raptus &
translatus est ex illa in regnum æter-
num, cuius finis non potest enarrari.
Dor sæpe in Mose legitur, ritus uester.
Hanc legem facietis in generationes &
generationes, id est, für vnd für / immer
vnd immer.

Illam durationem seu longitudi-
nem dierum, uel multitudinem anno-
rum, quibus regnabit, nemo enarrabit.
Quia est æternus Rex. Hoc inicit Pro-
pheta

pheta in mediam passionem, quod po-
fitus uictor supra legē & omnes errores,
& omne q̄ potest claudere, iudicare &
regnare in hac uita mortali, rapt⁹ ab om-
nibus claufuris, uexationibus mortis &
peccati, translatus in durationem, & ui-
tam æternam.

Quoniam abscissus est de ter-
ra uiuentium, propter transgres-
siones populi mei plaga eis.

Hic locus paulo obscurior est prop-
ter pronomen pluralis numeri La-
mo plaga eorum. 70. interpretes
habēt pro sua iusticia, uel potius malicia
ductus est ad mortem. Grammatica ob-
stat, ne impedit Lamo pronome tertiæ
personæ. Noster interpres ita uertit, pro-
pter peccata populi mei percussus eum.
Egregia sententia, sed Grammatica non
admodum respondet, Magnam hic gra-
tiam debemus Diabolo & Iudæis, qui
non solum turpiter deprauarunt, sed eti-
am confuderunt quantum omnino fieri
potuit distinctionibus, si reliquissent
Esaiam

Esaiam in distinctione ut acceperant, fa-
cilior sententia esset: Hebraistarum est
hoc obseruare, quod Iudæi ubicunq;
possunt deprauant intelligentiam, uel
impijs expositionibus, uel si hac uia non
possunt, distinctionibus, ut in Daniele
70. hebdomadis abbreviatæ sunt, ibi de-
prauatio palpari potest, ubi quæ copu-
landa erant distinguunt & discerpunt,
eaq; omnia in odium christianorum.
Relinquo igitur hoc studiosis Ebraicæ
linguæ, ut obseruent maliciã Diaboli &
rabinorũ, quorũ hoc unicum est studiũ
& negocium, ut deprauent & discerpant
atq; inuertãt intelligentiã prophetiã &
christianã. De Angustia, q̄s enarrabit, Et
hic discerpta est distinctio. Cogit enim
Grãmatica & sensus cõmunis distinctio,
nis in medio textu, ipsi hic nõ faciũt di-
stinctionẽ quomodo abscisus, plagatus.

Excisus e terra uiuentium phrasis
Ebraica est, id est, uiolenter occisus, de
uita sublatus cum adhuc sano, integro,
& ualido corpore esset. Verbum excindi
quo hic utitur Esaias est uiolentũ. Gazar
significat separari, scindi, diuidere, sicut
arbores & ligna scinduntur, ut ibant in
H 2 syluam

syluam, ut diuiderent arbores, ac scinde-
rent, &c. Sic in Psalmis est, Qui diuisit
mare rubrum in diuisiones, Inde uenit
Mazora, id est, serra diuidens ligna. Ex-
cindi igitur, id est, uiolenter discindi,
quod non sponte aliquis cadit morien-
do, sed florente & uiridi ætate occidi,
ut est excisus morte uiolentissima in
cruce passionis. Idem est ergo dicere mor-
tuus est uiolenta manu, non naturali
morte. Ita Christus tulit peccata nostra
florente & optima complexione & tem-
pore uitæ suæ.

De reliquo textu magis laboro, ne-
scio an huc uel illuc spectet propter uel
a transgressione populi mei plaga eis
uel illorum. Meam sententiam dicam.
An hic Eclipsis, Enallage uel distinctio
sit, ignoro. Ipse dixit, quod est raptus &
positus ad dexteram patris, & ut Petrus
ait, Eleuatus ad dextram Dei, ut sedeat
supra angelos, effudit hoc donum, Acto.
2. ut esset rex æternus & infiniti regni:
Christus mortuus est & resurrexit, am-
plius non moriturus. Ad quid ergo quæ
causa finalis proprie huius regni? propter
transgressionem populi mei, quæ erat
plaga

plaga ipsorum. Sedet in regno suo non
ociosus, nec propter se, sed ad dextram
Dei exaltatus iudicans mundum, & effu-
dit donum Spiritus sancti. Si abiero, in-
quit, mittam, si non abiero, non ueniet
ad uos, Ergo raptus & excisus est e terra,
ut exerceret uim & efficaciam istius suæ
passionis, ut, scilicet, liberaret nos, non
tantum secundum gratiam, sed & secun-
dum donum ad renouationem naturæ,
ut dicitur, *ascendisti in altum, & accepi-
sti dona pro hominibus.* Ideo sedet ad
dextram Dei æterni patris, misso Spiritu
sancto, non tantum ut sanet nos impu-
tatione, donata remissione peccatorum
propter ipsius mortem, sed ut etiam ef-
ficax sit in nobis, & transferat nos a
peccato in iusticiam, sanet corpus &
animam, non tantum remisso peccato,
sed prorsus expurgato & sublato, ut puri
sine omnium peccatorum pauore, mo-
tu & ardore Deo seruiamus in omni pi-
etate & sanctitate uitæ, positus est in ali-
am uitam, ut nos sanaret a peccatis &
transgressione illa, quæ erat plaga no-
stra. Diabolus deprauauit totam natu-
ram & carnem nostram magno & in-

uincibili ueneno, uiciauit & pdidit gra-
uissima plaga, scilicet, ad peccatum &
mortē æternam. Hanc ergo ut destruat
Deus efficaci medicina misit hoc donū,
quod uidetis propter hanc transgressio-
nem, quæ est plaga populi mei, sicut &
Ioan, inquit, In hoc apparuit Filius Dei,
ut dissoluat opera Diaboli, id est, pecca-
tum, mortem & infernum. Sic ergo in-
telligatur particula relatiua, ut sæpe alias
in Prophetis usurpatur, tanquam appo-
sitio. In Prophetis sæpe omittitur relati-
uum qui, quæ, quod. Hæc simpliciter
mea est sententia, si non propria, tamen
uera per se, meruit Filius Dei Dominus
ac redemptor noster Iesus Christus, non
solum remissionem peccatorū sua passi-
one, & reconciliationem. Sed etiam do-
num, quia per Christum non tantum
data gratia, sed & ueritas facta, Ioan. 1.
Non fucus est in Christo, ut tantum sit
impetrata gratia. Imo peccatum etiam
expurgatur.

Ne hic locus sit pro Antinomis, qui
peccatum sic extenuant, tanquam nihil
sit, quia remissum est. Num ideo in pec-
cato manebimus, quia peccatum remis-
sum &

sum & sublatum est, & sumus sub gratia,
Roma: 6. Hoc esset sub gratia siue ueri-
tate, id est, fucus, peccatum non tantum
remissum, sed fugatum & sublatum est.
Non tantum gratia, sed etiam donum
est ueritas, Ephe. 4. Quare manes in pec-
catis? An nescis quod Christus mortu-
us est, & peccatum remissum Manere er-
go in odio, ebrietate aut adulterio non
debes, Christus passus est ad remissionem
peccati, non ad licentiam carnis & con-
cupiscentiae, ut Papa imputat nobis
hanc horribilem blasphemiam, quasi
doceamus homines secure uiuere, sine
lege, in licentia omnium peccatorum,
quod lex non obliget ad damnatio-
nem. Cæremoniae sunt sublatae, ut mo-
ralis lex ablata, ut non uexet conscien-
tias nostras, non simpliciter, sed in Spi-
ritu, i. Cor. 5. quia repurgandum uetus
fermentum, ut noua simus conspersio,
purgatur, occiditur, comburitur, ut de-
struat corpus peccati.

Agitur ergo de ueritate, ut liberemur
a peccato reuera, & peccatum aboleatur,
sedet Christus ad dexteram Patris & ab-

scissus est propter nos, non tantum, ut
simus filij in gratia per remissionem
peccatorum, sed etiam accepto Spiritu
S. purificemur de die in diem, donec in
extremo die prorsus puri fiamus sine re-
liquijs peccati sollicitantibus & retra-
hentibus nos. Vide enim, quam infirmi
& impuri simus, sæpe labimur, pecca-
tum assidue captiuat nos, repugnans le-
gi mentis, ut etiam remedium quotidia-
num coactus sit dare Christus, cum iu-
bet septuagies septies remittere, quoties
offendit nos frater, &c. Matth. 8. Paulus
repugnat, militat contra legem mentis,
quanquam sit remissum peccatum &
non imputetur. Peccatum ergo est pla-
ga nostra, hæc incumbit nostris cer-
uicibus, hanc etiam uult sanare. Et dabit
impios, uel inter impios sepulchrum su-
um, Nos legimus secundum ueterem
translationem pro sepultura sua, & di-
uites pro morte sua, Hoc exponunt ue-
teres sic, quod Christus dederit Iudæos
impios & supbos loco sepulturæ, id est,
ipse liberatus est, Iudæi traditi sunt loco
eius in manus Romanorū. Ut sonat il-
lud Prouerbio, 21. Iustus liberabitur, &
traditur

tradetur impius pro eo. Hunc sensum
huc transferunt Hoc est quidem regulare
Dei opus. Nemo enim euadit iudicium
Dei, quin tandē impingat, Et iustus nul-
lus derelinquitur, tandem tamen libe-
ratur. Sic impius non effugit, sed tradi-
tur. Sed quod huc accommodatur hæc
sententia in prouerbis, non quadrat,
quia non loquitur Propheta hoc loco
de tranquilla & suauis, sed de crudeli
morte. Sic ergo inquam exponunt Lyra,
Hieronymus, Augustinus hæc Prophetæ
uerba, dabit impios pro sepultura sua,
id est, impij Iudæi pro liberato Christo
traditi sunt in mortē huius uitæ & æter-
nam, quia Romani omnes occiderunt.
Sinamus istam sententiam bonam, pi-
am & ueram, sed an in hoc loco quadret
de eo disputamus. Aliud enim est ueram
esse sententiam, aliud propriam esse loci,
Alij sic exponunt, quod diuites dabit
pro sepulchro, id est, Ioseph ab Arima-
thia, qui diues fuit, sepeliuit Dominum,
& in honesto loco, sed uidetur esse alie-
num. Etsi diues in Sacris literis, com-
muniter significat impium, tamen cum
additur nomen cuiusdam iusti, non

H 5

signifi-

significat Impium. Impij significantur,
Matth. 19. Facilius est camelum intrare
per foramen acus, quam diuitem in re-
gnum cœlorum. Item Lucæ 6. uæ uobis
diuites, &c. Hoc loco diues in Propheta
significat impiũ. Ioseph aut̃ nō fuit im-
pius, sed discipulus, quanquam occultus.
Nec Deus abijcit uel diuites uel paupe-
res, &c. nisi sint impij, ut operarij infide-
les, item auari, ut Hieronimus inquit,
omnis diues, aut iniquus, aut iniqui hæ-
res, Et Paulus inquit, Auaritia est radix
omnium malorum, uocat etiam auaros
idolatrias, Homines enim raro diuitijs re-
cte utuntur, sicut exempla quotidiana
abunde testantur, unde & gētes clamitāt,
O aurum causa es omnium malorum.

Et Poeta ἀδικὸν ὃ πλεῖστον πολλὰ δ' ἔκ θεῶν
ποιεῖ.

Item, πολλῶν τὰ χρήματα αἰτὶ ἀρθεύποισ
κακῶν.

Quid est excellentius pace, potesta-
te seculari, gloria, honore &c. quātus ue-
ro horum Dei donorũ abusus, Iuriskon-
sultus, aut Theologus quando animad-
uertit eruditionem suã, uidetur sibi an-
gelus angelorum Dei. Creaturæ quidem
sunt

sunt bonæ, sed subiectæ uanitati, Meretrix egregiū habet corpus, sed est in turpissimo quæstu. Sic impi⁹ uocatur diues, sed Ioseph fuit discipul⁹ Iesu sicut Abraham, David, non fuerunt pauperes &c.

Non igitur hic intelligendus est, ut exponūt Lyra, Hieronymus, Augustinus, nec propterea sepulchrum eius non honoratū est, quod prope caluariā sepultus est, sed est honesta sepultura. Ioseph Arimathensis non adeo timidus fuit, quia audet Christum crucifixū sepelire in suū sepulchrum, inuitis etiam pontificibus. Quocirca necesse est probū & piū fuisse hūc uirū, alioqui cogitasset, Iesus ille damnatus a summis Sacerdotib⁹, scribis, senioribus populi, & tota plebe ignominiosissime crucifixus est. Ero in odio totius synagogæ sacerdotū, si auferre uelim de cruce, & ponere eū in meum sepulchrū & honorare damnatū ab eis, ut blasphemū & sediciosum. Omisfis ergo his interpretationibus, sic uerto & expono, Et dabitur impersonaliter sicut Lucæ 6. Mensurabunt mensurabitur, dabunt, id est, dabitur. Ita Actiuum uerbum exponemus passiuè, uel impersonaliter propter clariorem

clariorem sententiam, Dabitur cum impijs sepulchrum suum, uel dabit cum impijs sepulchrum suum in accusatiuo, sed non semper potest reddi cum accusatiuo, ergo transferenda est uel per praepositionem cum, uel aliam particulam ut, sicut, Et sicut cum diuite, id est, impio, Idolatra, peccatore in mortibus.

Sit ergo haec sententia (non enim inuenio commodiorem) id est, Iudaei non contenti, quod occiderunt Saluatorem nostrum, & exciderunt de terra uiuentium. Sic omnes impij sunt homicidae, non contenti aliquem occisum, non consistunt in hac crudelitate, quod tam crudeliter & atrociter occiderunt pios, sicut ciuilis magistratus & politica iusticia saturatur morte, uel ultimo supplicio furis. Saeuire autem in corpus mortuum diabolicum, quia oportet quasi bismori. Imo, si possent, centies occiderent. Sic etiam Papa Ioannem Hus exussit constantiae propter uerbum Dei, & collegam eius Hieronymum de Praga. Hoc ibi non satis erat Papae, sed etiam cineres effossos, & locum cineris
integro

im/
um
uo,
cu/
ræ/
si/
io,

im
dæi
ua/
rra
ni/
m,
od
unt
iti/
no
pus
rtet
ties
em
um
de
sed
eris
gro

integro cubito proiecit in Rhenum, ne
quisquã, uel ipsa terra, in qua erat com-
bustus, tolleret aliquid in memoriam.
Hoc non est bis, sed millies mori. Quid
enim misera terra peccauit, ut etiã eã ef-
fossam in Rhenum abiectam uelint. Po-
stea addidit etiam hoc post exustum
Hus & submersos cineres, excommuni-
carunt, maledixerunt, damnauerunt no-
men, & memoriam eius in æternum ex-
tirpauerunt, & animam eius abiecerunt
in infima tartara. Ita S. Dei martyr Io-
annes Hus non unam, sed tres, quatuor,
imo plures mortes passus est, Exustus,
submersus, post distractus per aquas in
omnem terram, & nomen eius extin-
ctum ac deletum, anima eius Diabolo
tradita & excommunicata sub imos in-
feros.

Iste est insatiabilis furor Diaboli &
suorum. Hoc, ut supra dixi, nõ facit po-
liticus Magistratus, quiescit & desinit,
quando reus affectus est ultimo suppli-
cio. Sic hic eum crudeliter de terra excin-
dunt, eunt ad Pilatum, dicentes, recor-
dati sumus, quod impostor ille dixerit,
post tres dies resurgam, parati sunt occi-
sum se-

sum semel iterum occidere. Ita enim a
Diabolo oblessi sunt, ut cogitent, disci-
puli possent noctu uenire, & corpus fura-
ri, Matth. 28. Ideo uolunt occurrere alteri
uitæ, ne refurgat & reuiuifcat, dicunt ad
Pilatum, pone custodiam. Non licet ad se-
pulchrum adesse amicis, non mulieres,
quæ sequuntur eum erant. Sed milites im-
pij adhibentur, imo etiam iam sepultus,
si uellet reuiuifcere iterum occidant. Sic
non cessat nec hodie insatiabile odium
& cupiditas ac uoluntas occidendi. Iu-
dæi quotidie adhuc occidunt Christum
non tantum uoluntate, sed & facto.
Nam multos trucidant infantes & pu-
eros Christianos. Breuiter, sunt occiso-
res in æternum. Hoc puto significare
uoluisse Esaiam, & ideo Emphasis est
in uerbo plurali in mortibus, ut exag-
geret illud odium insatiabile, ut si mul-
tæ essent mortes, tamen illis nunquam
satis moreretur, quin iterum ad necem
raperetur. Sic sepultus etiam est tan-
quam sceleratus, & patitur etiam in se-
pulchro, nec adhuc putant se satis pœ-
narum de illo sumpfisse, sic & nos pati-
mur ab eis. Ita conuenit hoc, quod se-
quitur.

quitur. Hæc omnia patitur in uita & morte. Tollitur crudeliter ex uita, & custoditur in sepulchro post mortem, tanquam sacrilegus & pessimus omnium hominum, qui unquam in hanc terram peruenit.

Omnes qui eum occidunt, non possunt in eo inuenire ullum peccatum, imo nec uerbo, nec opere peccauit, sed fuit utrinque & lingua & opere salutaris. plus enim uult significare Esaias, quam dicit quod, scilicet, profuerit omni uerbo & opere. Nihil in eo quod noceret, sed omnia salutaria, & tamen mori cogitur. Quid nos gloriamur de nostris passionibus, omnibus modis Christi passio crudelior est. Nihil omittit Propheta, quod pertinet ad exaggerationem passionis pro omnium hominum passionibus. Et si tantum naturam humanam spectes, hoc est, si purus homo esset, tamen crudelitas esset immanis & horrenda. Sed sic oportuit crudeliter excindi ex terra. Fuit uictima pro nobis factus, Ideo oportet in

tet in eum ruere quicquid est furoris Diaboli & mundi, in eum spui, oportet Diabolum totos furores suos exonerare & effundere in illam personam, ut exorbeat illam totam.

Cum nihil superest furorum, resurgit Dominus, & peccatum, mortem, Diabolum, legem, infernum & omnia mala, quæ nos afflixerunt, uincit & exhaurit, ut iam nihil de eis supersit. Qui ergo credit in Christum, huic peccatum, Mors, Diabolus nocere non queunt. Nam Filius Dei, Dominus noster Iesus Christus exorsit cum magnificentia & gloria omnes furores Diaboli & uomitus eius. Qui ergo, ut iam dictum est, in eum credit, habet Diabolum uictum, prostratum & conculcatum, ut Gene. 3. dicitur, Semen mulieris conteret caput serpentis. Si modo credat, sedet ad dextram Dei æterni patris, semel mortuus non amplius moritur, Imo regnat & triumphat iam expoliatis & traductis potestatibus Colo. 2. Et nos per ipsum Michæ 2. Etsi carni dentes infigit, sed frustra contra stimulum calcitrans & ungulas infigens ipsius ferratis.

Et Do/

Et Dominus uoluit eum con-
terere in infirmitate, si posuerit
pro peccato animam suam uide-
bit semen longæuum, & uolun-
tas Domini in manu eius dirige-
tur.

Relinquo uobis iudicandum, quam
apte exponant Iudæi hoc caput
Esaia, de seipsis in hac præsentī
captiuitate, quam congruat, & quam
uerum sit de eis dici, os suum non ape-
ruit, uerbo & opere non peccauit. Item
an ipsi sint de angustia sublati, &c. Hic
apparet quam pulchre scripturam inter-
pretentur. Non humana, sed diabolica
deprauatione trahunt sanctissima uerba
de Salvatore nostro, ad ipsorum scelera,
tam turpitudinem. Iudicant se respectu
gentium esse sanctos, innocentes & sine
omni peccato, puros. Ita sordemus nos
gentes ipsis, cum inter sese sint pestilen-
tissimi, & quo meliores, hoc peiores. Sed
hæc omnia facta aut consilio & uolun-
tate diuina. Non attigissent ei unam
guttulam, uel unum capillum. Verum
I hæc

hæc fuit causa passionis Filij Dei, scilicet,
quod uolente Domino passus est. Deus
sic uoluit, At quoad Iudæos non uoluit,
sed permisit, ut Petrus ait, Acto. 3. qui
prædixit per os Prophetarum, pati Chri-
stum, impleuit sic Deum definito consi-
lio traditum crucifixistis. Deus permisit
& uoluit fieri, quare: ut esset uictima pro
nobis, Deus uoluit contere caput ser-
pentis, id est, destruere regnum Diaboli,
peccati, mortis, ut ædificaretur regnum
iusticiæ, salutis, uitæ æternæ. Hæc fuit
Dei uoluntas, propter hunc finem facta
omnia, quia Deus non delectatur in iu-
sticia, peccato, morte, sed iusticia, fi-
de &c. Hac finali causa delectatur De-
us, & eam respexit. Dominus uoluit,
& complacuit ei, ut contereret eum.
Ipsi ignorant Dominum gloriæ esse,
ut Petrus inquit, per ignorantiam feci-
stis, & male, sed DEVS uertit in bo-
num. Effectus bonus & causa finalis, ut
uos habeatis salutem, mittit Spiritum
S. ut agatis pœnitentiam, sinatis uos
adiuari, benedici, saluari uictima ob-
lata, salus parata, Diabolus uictus cum
peccato & morte, tantum uos accipite
& ap-

& apprehendite fide. Hæc enim est uoluntas Domini, quia eum sic uoluit conterere. Quia si dederit animam suam pro delicto, uidebit semen longæuum. Non est mortuus & sepultus, ut maneret in morte & sepulchro, sed initio Capitis dixit, Et sicut uirgultum coram eo, & radix de terra sitienti. Frumentum iactum in terram, non moritur. Sed hoc fine, ut ferat fructum centuplum, non moritur ut redigatur in cineres, sed ut impleat orbem terrarum iusticia, salute, uita, reparet regnum cælorum, non est mortuus ut periret, sed ut animam suam daret delictum, peccatum, seu, ut Paulus uocat, uictimam, id est, hostiam pro delicto. Hæc fuit Dei uoluntas, ut esset uictima, placatio, & ἡ ἀγορᾶ redemptionis, precium pro peccatis.

Quia ira Dei non potuit placari, & tolli, nisi tali, & tanta uictima, quæ est Filius Dei, qui non potuit peccare. Nulla sacrificia erant, quibus placari potuit DEVS, nisi hæc uictima,

I 2 quæ

quæ poneret animam suam ascham:
Imo omnia sacrificia ueteris Testamenti
fuerunt ἀσχηματα, ut Epistola ad Ebreos
loquitur, huius sacrificij Filij Dei.

Verbum Ascham, quo hic utitur
Propheta, placuit & Paulo ad Rom. 8.
& de peccato damnauit peccatū. 2. Co-
rinth. 5. Eum qui non nouerat pecca-
tum, pro nobis peccatum fecit, ut hic
dicitur, Qui peccatum non fecit, sic in
Propheta, Nec inuentus dolus in ore ei-
us, & tamen factus est peccatum, ut hic
ponet animam suam delictum, seu,
quod nos proprie uocamus uictimam,
sic Moses uocat Ascham ipsum sacrifi-
cium uel uictimam pro peccato, non
simpliciter sacrificium, sed proprie pro
peccato posuit Christus animam suam,
id est, fecit seipsum peccatum, uictimam
nostram. Grammatici disputant, an sit,
sic posuerit animam suam, scilicet, per
delictum, uel peccatum, sed nihil refert,
id est, si fecerit ipse suam uictimam, uel
semetipsum uictimam, ut sic uideret se-
men, quod prolonget dies.

Hoc est, quod pasim de regno Chri-
sti Propheta uaticinatur, ut Psal. In iu-
sticia

sticia & iudicio corroborabuntur filij
eorum, habitabunt, & regnum eorum
in seculum. Item, supra thronum eius a
modo & usq; filij tui, semen eorum diri-
getur, id est, regnum Christi durabit, se-
men eius propagabitur, donec Sol luxe-
rit, & manserit Luna, erit propagatio se-
minis istius. Tamdiu durabit propaga-
tio, uel ut dicitur semen, donec collecta
fuerit uniuersa Ecclesia, tum desinet illa
propagatio, uel seminificatio, tum etiã
amplius non erit generatio corporalis,
nec spiritalis, nec docebimus amplius,
nec baptizabimur, nec credemus, spera-
bimus, Sed tantum diligemus & lætabi-
mur, fruētes æterna uita & beatitudine.
Hoc est regnum Christi manere in lon-
gitudinem dierum. Hoc pro sua passio-
ne habebit, quod regnum eius, ut di-
ctum, manebit & propagabitur, crescet,
sine fine multiplicabitur, in illum usq;
diem, donec tradet regnum Deo patri,
interim oportet eum regnare.

Et uoluntas Domini per ma-
num eius dirigetur.

HOc pertinet ad præcedentia de se-
mine longæuo, quia uoluntas
Domini fuit, ut contereretur. Et
ideo, si posuerit animam suam hostiam
pro delicto, uidebit semen longæuum.
Et uoluntas Domini in manu eius pro-
sperabitur, fortunabitur, ut Psal. in-
quit, O Domine bene prosperare. Ista
uerba includunt tyrannidem illam hor-
ribilem, & potentiam Diaboli, ut infra
dicit de dispartitione spoliiorum. Nul-
lus est successus, fortitudo, aut uictoria
cōtra regnum & tyrannidem Diabo-
li. Mors rapit omnia, & Diabolus per
mortem, & autor mortis uocatur. Vo-
luntas igitur Dei hic dicitur illa uicto-
ria, illud opus diuinum, quo destruitur
opus Diaboli, quo captiuitas captiua-
tur, & sicut in Euangelio est, cum for-
tissimè & ligatur diripuerunt ei-
us spolia. Item CHRISTVS inquit,
Hæc est uoluntas Dei, quod missus est
filius hominis, ut redimat genus hu-
manum a peccato, morte, lege, potesta-
te Diaboli, illa uoluntas DEI nunc
prosperabitur. Quare utitur illo uoca-
bulo

bulo prosperabitur: propter potentiam
& Tyrannidem Diaboli in genus hu-
manum. Omnes Monachi, Turci, Gen-
tes laborant magno zelo & incredibili
studio aggrediuntur durissimum genus
uitæ, & quo est durius & asperius uitæ
genus, eo se melius putant euasuros hanc
Tyrannidem.

Sed nihil est prosperum, & fit indices
de die in diem peius, ut in muliere Ae-
morroiffa, quo magis laborat natura,
ut extricet se ex peccato & morte, hoc
magis impingit, & deprimitur sub hanc
tyrannidem. Magni laboris res est, eti-
am Christianum, qui est baptizatus, ab-
lutus sanguine Christi, perumpere &
transire de iudicio ad uitam, quid fa-
ciat Monachus: qui sua morte, labore,
per uota & religiones suas uult saluus fi-
eri. Ibi nihil prosperum, quicquid feceris
uadit cursum cancri, ut solet dici. Sa-
cerdotes Baal uulnerabant se lanceolis,
perfundebat se sanguine, immolabant fi-
lios, & filias. Achas rex Iuda impijsimus
quã horribiliter deuotus fuit, nihil omi-
sit religionum etiam externarum, ut placaret De-

ret Deum, sed unicum remedium, & uia
unica Christus, in cuius manu prospera-
tur Dei uoluntas. Omnia nobis prospera-
rime succedunt, si apprehendimus Chri-
stum, in quo sunt omnes Thesauri sapi-
entiae & cognitionis Dei absconditi.
Voluntas Dei non prosperatur per no-
stras manus, aut opera, sed per Christum,
qui se dedit pro peccatis nostris, per
hunc datur Spiritus sanctus, ut per rupa-
mus. Non tamen sine labore aut dolore.
Caro enim plumbea nos semper deor-
sum retrahit, & Diabolus impedit. Ergo
non fit cum risu, sed cum magna lucta,
labore, difficultate, murmure, rebellionem
carnis, etiamsi spiritus est hilaris, &
promptus. Hephetz uoluntas, studium,
institutum, placitum fere significat hoc,
quod uolo facere, **das ich gerne thu/
damit ich umbgehe** / ut Ecclesiastes de
muliere, quae etiam habet suum hephetz,
ut omnis actio habet suum hephetz. An-
te tempus non fit, ut etiam dicitur An-
nis producit fruges non ager. Si in hie-
me seret frustra laborabis. Omnia fiant
oportet suo tempore. Latini dicunt, ue-
ni in tempore, quod omnium primum
est ca

est, caro uocat occasionē. Significat er-
go hephetz hoc, quod instituit facere ἐν
ὧ ἐυδ'όκησε, sicut inquit de filio suo Do-
mino nostro Iesu Christo, Hic est Filius
meus dilectus, in quo complacitum est
mihi ἐν ὧ ἐυδ'όκησα, id est, in quo omne
studium, uoluntas daran ich meines
herzen lust habe vnd sehe / ut Ioan. 6.
Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, de
illo studio est sollicitus, in hoc misit Fi-
lium, ut audiamus eum, & sic per eum
restituantur omnia, quæ sunt in cælo &
in terra, usq; ad tempus restitutionis
omnium, Acto. 3.

In hoc omnia sunt reposita, omnes
thesauri sapientiæ & scientiæ Dei, ac
omnia per ipsum, & in ipso consistunt,
breuiter omnia debent in eo recapitula-
ri, hoc est, studiū & uoluntas Dei, omnia
in filio nobis incarnato & reuelato. Hoc
modo procedit & prosperatur, non ob-
stante, quod Satan summis uiribus, &
omnibus conatibus sese opponit, op-
primit omnes qui unica syllaba fatentur
Filium Dei, occidit Prophetas, Aposto-
los, Martyres, resistit confessoribus, ha-
bet pro se magnam partem in carne no-

tra, ita ut uideatur opus Dei impedi-
tum esse & infortunatum, non procede-
re. Lege tantum historias Ecclesiæ, & ui-
debis quam uarie hoc opus a Dia-
bolo sæpe impeditum sit. Et tamen
prosperatur semper, iam quinquies mil-
le & 500. annis opus Dei. Quia scriptum
est, per manum eius uoluntas Domini
dirigetur. Etsi longe uideatur contrari-
um, uide res gestas, tum dices cum Pro-
pheta, Memor ero operum tuorum, &
sic consolabor. Quia quadrigæ tuæ qui-
dem in medio aquarum, Diabolus ad-
hæret rotæ & impedit. Nihil expetamus
melius quam quod accidit omnibus pi-
is ab initio mundi. Sic accidit Adæ.
Noe, Abrahâ, quibus apparuit ita qua-
si non solum impedita, sed etiam dele-
ta. At perrumpit non per manum no-
stram, sed per ipsius Domini Iehoua
manum prosperatur.

Propter laborem animæ suæ
uidebit & iniquitates, &c.

Icerum

I Terum hic malitia, nequicia & horri-
bilis inuidia Iudæorum cernitur, qui
confuderunt distinctionem & tex-
tum corrumpunt. Septuaginta interpre-
tes digni odio sunt, Non enim possum
credere, nec uerum est, quod transtule-
rint & uerterint Biblia ex Spiritu S.
Nam apparet manifesta uanitas, nequi-
cia & studium deprauandi. Oportet nos
ergo distinguere textum. Si anima sua
se posuerit, uel a labore, uel miseria ani-
mæ suæ uidebitur & saturabitur, oportet
enim textum præcedentem cum se-
quenti concordare & connecti 70. Si de-
deritis pro delicto &c. Et Dominus uult
auferre de dolore animã eius, ostendere
lucem, iustificare iustum, quid uero hoc
erit? Est impossibile etiam recens aliquẽ
institutum in Ebraica lingua, nõ uidere
deprauatum esse textũ data opera ex me-
ra malicia. Si 70. ita uerterunt, fuerunt
homines nequissimi, qui ludere tantum
uoluerunt regem Ptolomæum Phila-
delphum, tanto studio & labore quæ-
rentem uersionem.

Ipsi corrumpunt & sensum & distin-
ctionẽ, credo ideo sic uertisse, ut adigeret
eum

eum ad largiorem Eleemosinam si de-
deritis pro delicto, id est, si sacrificabitis
diu uiuetis, & Dominus uult auferre
dolorem. Hæc non est Prophetæ sen-
tentia, qua uero impudentia audent
propriam fingere sensum, & muta-
re uerba & torquere, An hoc est uerte-
re? Sic Esaia 9. uocabitur nomen eius
magni consilij, mirandus consiliarius,
Hæc enim sunt uerba, ne quis putet nos
ipsis iniuriã facere καὶ καλεῖται τὸ ὄνομα
αὐτοῦ μεγάλης βουλῆς ἄγγελος, θαυμαστός, συμ-
βουλος. Verum illud est studio & mali-
cia deprauare clarissima uerba, in qui-
bus nulla obscuritas & difficultas est.
Pro. 6. uocabulis, uocabitur nomen ei-
us, &c. Ipsi uerterunt magni consilij An-
gelus. Ita optimam & consolatione ple-
nissimam sententiam uertunt, imo potius
peruertunt. Ista studiosis Ebraicæ lin-
gue commendo, ut obseruent nec excu-
sent aut admittant illorum somnia ut Hi-
eronimus autoritate publica excusat
70. interpretes. Ego non excuso, nec
uideo Apostolos eorum uersione usos,
etiamsi apparet, quod eos legerint, sed
non sequuntur eam deprauationem ubi
uident

uident deuiare 70. Apostoli potius ap-
prehendunt Ebraicum textum ut in il-
lo, deuorauit mors, ipsi uerterunt Esaiæ
25. Paulus recte uertit 1. Corinth. 15. Ab-
sorpta est mors, quamuis hoc loco uo-
cabulum ita ponitur, ut sit aliqua speci-
es. Sed hic nullã speciem habet, ut quiuis
qui tenuiter attigit Ebræa iudicare po-
test. Hæc non possunt excusari ex igno-
rantia facti, sed certa & aperta malicia.
Est ergo sententia, ut habet uerus textus
ebraicus, propter laborem animæ suæ
uidebit, scilicet, cum gaudio, uoluptate,
significat enim uerbum Raah hoc loco
non subito intueri & desistere, sed cum
mora & manendo in uisione, ut Virg:
inquit, iuuat usq; morari. Sic ubiq; ex-
posuimus, id est, cum uoluntas domini
dirigetur, uidebit longæuum semen &
tale in quo delectabitur uidendo, & non
solum delectabitur, sed usq; ad satieta-
tem copiose uidebit, ut Psal. satiabor
cum apparuerit gloria tua., item Psal.
15. implebis cum lætitia, tum uultu tuo
delectatione in dextra tua, id est, cum
uoluptate & copiose uidere, id est, Chri-
stus uidebit fructum passionis, resurrecti-
onis,

onis, Ecclesiam uicticem mortis, peccati, Diaboli, cum magna uoluptate uidebit prostratum peccatum, mortem absorptam, strangulatum Diabolum. Nec solum ipse ad saturitatem uidebit, sed etiam uos cum ipso. Subinde repetit Christi passionem Propheta, ut fere totum caput nihil aliud fuit quam repetitiones, sed tamen ut semper aliquid addat, scilicet, quod mortuus propter peccata, Non decor in eo, contemptissimus, abiectissimus uirorum. Languores nostros tulit & morbos. Disciplina pacis super eum &c. Ita etiamsi sint repetitiones meræ, tamen semper aliquid accedit, ut hic posuit animam suam pro delicto ut uideat semen longæuum. Anima eius laborauit, fuit afflicta ut uideat gaudium, uoluptates satur & plenus gaudiorum, Propheta stupet & admiratur illam incredibilem dignitatem quod pater mittit filium, & inenarrabile consilium Dei quod finit eum excindi, fieri nouissimum uirorum, idque propter nostra peccata. Ideo cogitur ad copiam & amplificationes. Est enim Propheta Esaias hoc in loco ualde eloquens,

quens, qui potest eandem rem alijs atq;
alijs uerbis & modis eloqui. Hi sunt uerū
Rhetores, qui eandem rem dicere no-
runt alijs atq; alijs uerbis subinde & mo-
dis, ac semper tamen aliquid addere
significantius. Hoc possunt summa in-
genia & summæ eloquētiæ uiri. Imo ui-
debit suam uoluptatem atq; equidem ad
saturitatē, & omnes sui credentes cū eo.
Quia factus est uictima, sudauit sangui-
guinē nostro magno bono, & suo mag-
no gaudio. Ipse uictor lætabitur qui est
nostra uita, iusticia, salus, nos ei gratias
agemus, quod est excisus de terra uiuētī-
um, mortuus & ita uictor factus: Quo-
modo autem saturabitur & uidebit su-
am uoluptatem? In scientia sua iusti-
ficabit seruus meus iustus multos. Ibī
tribuit ei nomen serui iterum, qui ta-
men est **DEVS** & faciens opus Dei, ac
uoluntatem Dei implens. Ipse seruus
meus iustus, de quo supra dixit, pecca-
tum non fecit, nec est inuentus dolus in
ore eius, imo tantū optima fecit, saluta-
ria loquutus, nihil dignū pœna in eo, &
tamē ille innocentissimus inuenis mor-
tem patitur crudelē. Non est iustificatus
hac

hac morte sua a peccato. Est innocens,
agnus immaculatus, conceptus e Spiritu
sancto sine omni peccato, sed sibi
non seruabit hanc iusticiam hic seruus
paciens. Sed illa contritione qua contri-
tus est a Deo innocens, sanctus, hac in-
quam seruitute & obsequio non sibi, nec
propter se fuit seruus, sed in hoc Dei ser-
uus fuit, ut & hac seruitute iustificaret
multos. Is fructus est passionis suæ, iustos
& saluos facit a morte, peccato, liberos a
potestate Diaboli, Hoc est serui huius of-
ficium, ut in sua passione seruiat nobis.
Quæ est ratio, quod nos iustificat: quo-
modo, qua uia peruenimus ad fructum &
finem huius operis, Nulla alia uia & ra-
tione, nisi in anima sua uel noticia: sic
& Petrus exponit & recte, crescite in cog-
nitione Domini nostri Iesu Christi. Il-
lam cognitionem scientiam 70. uerte-
runt, Hæc noticia est ipsa Fides, non tan-
tum historica, qua Diabolus & credit &
Deum prædicat, quemadmodum etiam
hæretici. Sed est agnitio experimenta-
lis, & fides significat hoc uocabulum
cognouit Adam uxorem suam, id est,
sensu cognouit expertus eam suam ux-
orem,

orem non speculatiue aut historice, sed
experimentaliter, inde etiam ipsum uer-
bum Iada sæpe uertitur pro doctrina, id
est, uera, uiua cognitione, non tantum
qua audio & narro, sed qua apprehendo,
innitor & sector hanc cognitionem,
quod intrat in cor ut sperem & non du-
bitem, acquiescam & confidam quod
Christus pro me sit passus. Hoc non fa-
cit historica fides, non addit hanc expe-
rientiam sensitiuam & experimentalem
cognitionem, dicit quidem, credo quod
Christus passus sit, atq; etiam pro me, sed
non addit hanc sensitiuam experimen-
talem. Vera autem fides hoc statuit di-
lectus meus mihi & ego apprehendam
eum cū læticia, ut Simeon canit. Nunc
dimittis seruum tuum Domine. Erat ui-
sio non tantum speculatiua, sed experi-
mentaliter, qua mouetur cum anima tum
corpus sentit innouationem quandam
& motum uitalem.

Altera fides audit quidem, sed nihil
mouetur cor, Iacob. 1. Qui audierit
est sicut contemplans speculum.

Audiens de Christo, non habens fi-
dem ueram, sed spumam illam & super-
ficialem.

K

ficialem.

ficialem perinde est ut abiens a speculo
quo se contemplatur. Sed qui uere cre-
dit, cui Spiritus cor tangit, retinet hoc &
sentit complacentiam, Igitur uides
Apostolos distinxisse de Fide, non de su-
perficiale transeunte & nihil efficiente,
sed uera quæ gustat suauitatem Dei, ut
hic loquitur in anima, id est, experi-
mentali, uera, uiua cognitione sui iusti-
ficabit multos. Ideo enim mortuus est,
resurrexit, impleuit, fecit omnia ut tu in
eum crederes & saluus fieres. Scientia
sua potest etiam intelligi actiue, quia
certe est eius donum hæc fides, ut hoc
beneficium ex toto corde amplecta-
mur, & cor incipiat stupescere, ut sentiat
alium motum non a se, sed a Christo,
Num hoc uerum. Incipit cum stupore
magno admirari, Ergo peccator debeo
hoc credere. Certissime tamen aliter in-
spicis Christum quam antea, saturabe-
ris & delectaberis in eo & uicissim & ip-
se in te.

Iustificabit multos. Loquitur more
Pauli, Rom. 5. utitur hoc uocabulo
multos Hoc loco omnes, est in relatione
unus peccauit, unus iustus, & multi iusti-
cantur.

cano. Nulla differentia est inter multos
& omnes. Iusticia Christi unigeniti Filij
Dei, Domini ac saluatoris nostri tanta
est, ut infinitos mundos possit iustifica-
re. Iustificabit multos, inquit, id est, om-
nes. Intelligatur igitur de omnibus,
quod offerat omnibus suam iusticiam
quam omnes consequuntur, qui in Chri-
stum credunt. Iuxta illud, Qui credide-
rit & baptisatus fuerit, saluus erit. Et Io-
an. 6. Hæc est uoluntas eius qui misit me
Patris, ut omne quod dedit mihi non
perdam ex eo, sed resuscitem illud in
nouissimo die. Hæc est uoluntas pa-
tris mei qui misit me, ut omnis qui ui-
det Filium, & credit in eum, habeat ui-
tam æternam, & ego resuscitabo eum
in nouissimo die.

Et iniquitates eorum por-
tabit.

Iterum repetitio seu amplificatio &
copia Prophetica. Quare? quæ causa,
modus aut forma illius iustificationis
est, cognoscere Christum crucifixum, is mo-

duo quo peruenitur ad iusticiam, est iusticia sua iustificare, non tua opera.

Sed causa est, quod iniquitates omnium portat, nemo enim portat sua peccata, potest etiam intelligi de reliquijs peccatorum, At tamen melius est de toto peccato intelligi. Reliquiæ peccati sunt quidem in sanctis, & tamen illis cooperantur in bonum, Rom. 8. Si tantum repugnant peccatum non nocet, etiamsi adsit in carne peccatum, nec mortuum complectamur igitur, totum peccatū. Abundat eloquentia Prophetica & copia, ut non possit satis inculcare hoc mirabile opus Dei, quod filius Dei pro miseris peccatoribus passus est. Deniq; hic locus non satis potest explicari, iustus ipse seruus iustificabit multos & iniquitates multorum ipse portauit, complectitur enim in summa totū Euāgelion, estq; copiosissime tractatus & explicatus per Apostolos & Euangelistas, & ab Ecclesia uera, incipiendo a tempore pentecostes, quo nihil aliud dictum, & agitātū, quam hic locus, seruus meus iustus, &c. Ex fide Christi iusti. Ecclesia hunc articulum profitens mansit in fide, &

de, & fides alio tempore est clarior, alio
obscurior, ipse dixit, uobiscum ero usque
ad consumationem sæculi, sine isto ar-
ticulo non stat Ecclesia, Mahomet qui-
dem uastauit Ecclesiam, & Papa obscu-
rauit doctrinam de fide, sed ubi iste ar-
ticulus mansit, ibi Deus conseruauit Ec-
clesiam.

Non opus est omnia indicare, quæ
sunt in nouo Testamento, diligenter in-
culcat Propheta istam passionem Chri-
sti, factam propter peccata nostra, & ta-
men nihil profectum est, nec hodie nisi
apud Ecclesiam. Nō solū de persona di-
cit clarissime, sed etiā de causa, q̄ ppter
nostra peccata percussus & passus fit, ut
abijciat omnia, templum, cæremonias,
legem & omnes cogitationes huma-
nas de iusticia, & illis exclusis statuamus
per unum æternum salutem & uitam
æternam nos consequi, ita ut non tam
pugnet hoc caput contra peccatum, quā
contra iusticiam.

Diuidam & dispertiam spolia
inter multos, &c.

Iste locus placuit Domino nostro Iesu Christo, & huc respexit in Euangelio, ubi loquitur de forti armato, Lucæ ii. Vbi uenerit fortior & diuidet spolia. Et est gratisima pictura. Non loquitur de temporali potentia, quasi potentes etiam pertineant ad illam uictoriam, sed potentia herilis nihil ad hanc uictoriam, Christus enim non tollit œconomiam uel politiam. Imo confirmat eam per Apostolos, Ephe. 6. Parentes educate liberos, mariti diligite uxores, Item 1. Petri 2. Estote subditi, tanquam præcellenti Regi, præsidibus ab eo missis. Et Rom. 13. Propter conscientiam obedite. Ideo non cogitandum, Prophetam, ut Iudæi somniant & insaniunt, de regno temporali, & spolijs humanis loqui.

Toties enim repetita est in hoc capitulo particula propter peccata, morbos, iniquitates &c. non dicit propter paupertatem & contemptum, grauia & impossibilia nobis sunt peccata, mors, inferni nostri, quæ a nobis nec uinci nec tolli possunt. Dispertiam ei, utitur uerbo militari seu castrensi, ut cap. 9. Lætabuntur ue

tur ut in messe, & ut exultant uictores tū
cum diuidunt spolia. Loquitur autem
de diuisione magnarum prædarum &
maximorum spoliatorum, non tantum
Regum, sed & subditorum cum princi-
pibus, & regibus, adeoq; totius generis
humani. Ibi magis utitur Rabbim, Azu-
min. Si enim simpliciter esset potentia
intensiva potuisset alijs uocabulis uti, q̄
significant robur, potentiã, fortitudinẽ,
Rabbim proprie significat gros / scili-
cet quãtitate & qualitate, ein gros mech-
tig volck dicitur germanice, nõ signifi-
catur fortitudo personalis, sed magnitu-
do & multitudo, robur populorũ & reg-
norũ. Sic hic loquitur Azam, ich wil im
ein grossen mechtigen hauffen zu brin-
gen. Item sic de Abimelech, cū eijcit Pa-
triarchã, Isaac recede a me nobis, q̄a for-
tior fact⁹ es nobis, nõ de p̄sonali uirtute
aut fortitudine. Sed q̄ sit multiplicatus,
auctus gregib⁹, familia & socijs. Sed ta-
mẽ etiã includitur p̄sonalis fortitudo, q̄
uis magis sonat de quantitate, ut dixi, ta-
mẽ illa uirtus quoq; includitur. Respicit
in. ad Diabolũ, mūdũ, peccatũ, mortẽ, le-
gẽ, q̄a oportet nos facere uictoriã Christi

uniuersalem, quod simpliciter omnia
uicit, quæ sunt magna, fortia & multa.
Habemus infinitos Diabulos contra
nos, peccata, mortem, Rabbim & Azu-
min ut supra, cap. 9. sunt descripti hostes
per sceptrum, iugum & uirgam. Hic reue-
ra sunt fortes multi & magni, contra
quos Christus pugnat, non contra poli-
tias, aut œconomias, quas non uult de-
struere, sed uult opera Diaboli, scilicet,
peccata, & ipsam abolere legem, quamuis
hoc in subtili intelligentia quomodo
fiat, dixi cap. 9. Ipsam legem Dei oportet
uincere eum, ut ait Apostolus, I. Cor. 15.
quia est uirtus peccati. Hanc uirtutem
neccessè est destrui, destructa enim ea, de-
struitur peccatum, eo destructo destru-
ta est & mors, hac destructa & abolita
omnis potentia inferorum & Diaboli
destruitur. Ideo ait Esaias cap. 49. Nun-
quid rapietur præda a forti robusto gib-
bor Nimrod, & quis rapiet iusti captiui-
tatem. Latinus interpres timuit uti uo-
cabulo (iusti) intellexit superficialiter de
Rege Babiloniorum, id est, hoc quod
iustus captiuum cœpit, Et hoc quis po-
test: Nobis impossibile est spoliare Di-
abolum,

abolūm, rapere prædam ex lege, & iustam tyrannidem, quam habet lex in nos, qua etiam sumus iusti damnati, ut Paulus dicit, Lex iusta, sancta, bona nunc autem iustum factum est minus in malum. Ergo quod facit Lex, facit summo iure. Quis rapiet igitur captiuitatem, quam habet Lex tyrannus ille maximus? Respondet Christus, Ego saluabo filios tuos, præda equidem, uel spoliū rapietur Tyranno & captiuitas.

Ibi significat Esaias robustos, quem antea uocauit Iustū, Ergo non loquitur de captiuitate Babilonica, sed de illa liberatione, de qua solet libenter loqui, qua liberatur homo peccato & a lege, morte & peccato, ut Paulus stimulus mortis peccatum. Hic consistunt tres hostes, quos uinci necesse est, & quibus deletis manet politia & Oeconomia, Lex uidelicet maximus tyrannus, peccatum & mors, his inquam ablatis manent omnia, Diabolus autor est peccati, qui fecit nos præuaricari, habet etiam legē pro se, quæ est eius patronus, damnans genus humanum. Sic habet iusticiam

tiam pro se gaudens & hominem totum
damnatum esse lege, quia & ipse dam-
natus. Quis hic liberabit? Ego, inquit,
saluabo & cibabo hostes tuos sanguine
suo. Hæc sunt uerba Domini in Esaia,
sic ego ibi intelligo locum. Diuidam ei
regnum Diaboli, peccati, mortis &
ipse omnia diuidet. Iudæi intelligunt
de Messia, tanquam de instrumento. Sed
Esaïas habet pro Domino qui facit idē
opus quod pater ipse, id est, ipse omnia
diuidet spolia, prædam robustorum.
Duæ personæ, idem opus diuidentis il-
lud spoliū horrendi & metuendi Dia-
boli, peccati & mortis. Hi sunt mihi
magni & potentes. Diuidam regnum
mundi, & Diaboli potestatem, & ipse
etiam diuidet in prædam, uictoriam &
gloriam quod is uocabitur uictor mor-
tis, peccati, legis & omnium malo-
rum.

Vide qualis tyrannus Lex, peccatum,
mors, magna eorum potentia est, infini-
ta multitudo morientium & peccanti-
um &c. Hic ergo alius uictor est quam
Hercules aut Theseus, qui conficiet alia
monstra

monstra quam leones, urfos. Hic sunt
leones peccatum, mors, Diabolus, mala
conscientia, accusatio legis. Quomodo
autem hoc faciet? sic ut moriatur pro
peccatis totius mundi, & morte sua Spi-
ritum sanctum impetrabit, illumque ef-
fundet in orbem terrarum, & diuidet
spolia mortis, peccati, legis, inferni, Dia-
boli, liberabit a lege accusante, a consci-
entia mala, Ista uero liberatio erit, ut
non terreat memoria peccati, nec facie
mortis, nec curem Diabolum. Sed
& illudere possum legi & dicere, Lex
noli me accusare, non sum tibi debi-
tor, aut reus. Mors, Diabole abi, per
quid? Meas satisfactiones & rasuras?
Minime, sed per illum, de quo dicitur,
Ipse iniquitates eorum portauit, ui-
ctus Diabolus, peccatum & lex dam-
natrix & accusatrix, & parata libertas
& securitas per filium DEI, qui pro
me mortuus est, qui factus est male-
dictum, tulit peccata mea. Sic hic mul-
ta spolia istius Tyranni diuidet. Sem-
per hoc inculcat & repetit diligenter
Esaias. Ergo discamus non fieri libera-
tionem

tionem propter nostras iusticias, aut opera,
quæ fecimus. Sed secundum misericordiam
suam saluos nos fecit, per lauacram
regenerationis & renouationis Spiritus
sancti, ad Titum 3. Apostoli conueniunt
ac pulcherrime tractant hunc locum.
Audientes ergo & credentes has
promissiones impletas in hoc Filio
Dei accepimus Spiritum sanctum
qui lætificat corda nostra. Hic est
usus discipulis, ut possit lætari,
exultare, illudere etiã legi & morti.
Vbi est mors aculeus tuus: ibi
diuidemus spolia, & insultabimus
legi dicentes, bona es quidem,
sed me non debes accusare, Lex
contra ait, An non es in carne peccati:
Verum, sed iustus sum, non quatenus
sum filius Adam, sed quia Christus
filius Dei unigenitus portauit
iniquitates meas, uulneratus est
propter peccata mea, illum
oppono, ibi cogitur obmutescere,
illum non accusat, nec damnat.
Imo ipse Christus Dominus
omnium, habet potestatem
accusandi & damnandi Diabolum.
Est enim iniuste occisus per
legis sententiam. Resilit ergo &
dicit nihil possum facere tibi,
cum credis in Christum.

stum. Hoc ego audio & accipio fide, &
in hac consistens saluor. Quis tam indi-
gna facit, patitur, uulneratus, passus, per-
cussus est, effudit etiam in mortem ani-
mam, & cum sceleratis reputatus, factus
maledictum. Ibi lex uenit ei in cerui-
cem. Effundere Hebraica phrasis est, in
uel ad mortem animam suam, ueluti
saccus uel aliquod uas pure effunditur,
ut hæc sit sententia, dedit animam suam
tam alte in mortem, ut nulla guttula re-
liqua fuerit uitæ, id est, nulla simulatio
mortis, sed uerissime mortuus est ut ali-
us homo, non falsis opinionibus, ut fin-
gunt Mahometem non esse mortuum,
sed raptum. Et hæretici nugati sunt, Sy-
monem Cyrenensem pro Christo cruci-
fixum esse. Sed ista persona quæ fuit brachi-
um Domini pure, uere mortua est. Hæc
non sunt facilia creditu, pugnant hæ-
retici, ut dictum iam est, non uere mor-
tuum esse. Sed Esaias affirmat quod ue-
rissimus Deus & homo mortuus sit, Er-
go excepto proprio peccato tribuunt ei
proprie omnia, quæ sunt humanæ na-
turæ, quia perfectissima natura humana
perfecte mortuus, passus, flagellatus &
tentatus

tentatus perfectissime ut nos. Sic etiam
maximus peccator est, ut nullus sit ma-
ior in toto genere humano, quam Filius
Dei, adeo ut uocetur peccatum, Imo pi-
aculum, catharma peripsema, & ut Esa-
ias ait, Delictum pro peccato, tantus est
peccator Christus, ita tamen, ut hoc in-
telligatur non de proprio, sed alieno, id
est, nostro peccato, ut supra sæpe dixit
pro nostris peccatis, propter nostra deli-
cta percussus est.

Nostrum peccatum est, quod ei fuit
alienum, non habuit, nec fecit, factum
est ei proprium propter charitatem, qua
nos complexus est. Hoc portauit, & pro-
pter illud passus est, tanquam ipse fecis-
set, qui tamen fuit innocentissimus,
immaculatus, agnus ab initio mundi
præcognitus, statim post lapsum pri-
morum parentum, Adæ & Eux promis-
sus, semen mulieris, ut ferret & tolleret
peccatum, non tamen proprie suum, sed
nostrum, ut in Psal. ait, Miserere mei, sa-
na animam meam, quia peccaui tibi.
Comprehenderunt me iniquitates meæ,
ubiq; confitetur peccatum totius mun-
di tanquam suum. Sed tamen ut dictum
iam

iam est aliquoties non suum proprie, sed
factum suum, scilicet, per inestimabilem
& ineffabilem charitatem, qua uoluit
pro nobis fieri uictima. Res tãtã sunt ut
merito clamet. Quis credidit auditũ
nostro, quod unigenitus filius Dei fiat
non solum homo, sed ita ut fiat pecca-
tor maximus, loco omnium hominum,
ut omnes qui credunt in eum liberi sint
a seruitute legis, a iure summo Diabo-
li, peccati & mortis. Ideo subiectus le-
gi, peccato, morti, cum non esset de-
bitor, sed Dominus illorum omnium.
Ibi effusa est inestimabilis charitas, quã
a nulla creatura potest satis cogitari, &
laudari.

Ideo uenit ut dispertiat prãdam,
liberet populos multos, idq; meruit non
tantum uirtute propria, qua erat iustus
sed etiam iuste ac iure, ut lex incidens
in eum, & accusans peccatorem iuste
damnaret, & etiam nos a maledictione
legis redimeret, quia se nobis adiunxit,
& nobis copulatus est. Et corã Deo susci-
pit in se peccata omnia. Ita accusat & dã-
nat eũ lex uelut peccatorẽ. Sed ubi puta-
bat se

bat se habere comprehensum, & iam ita
morti adiudicatum, ut elabi non posset,
resurgit uictor mortis, & affigit legem
cruci, Coloss. 2. Ita est damnatus cum
sceleratis. Hæc est proprie uirtus legis,
quæ tantum damnat sceleratos non iu-
stos. Et dicitur similis Filius Dei omni-
bus modis ijs, qui damnati lege sunt, iu-
xta legem dicitur sceleratus, impius, sa-
cilegus, qui contra legem peccat, qui
suspenditur inter duos latrones, & idem
est, ac si suspenderetur inter omnes. Ideo
reputatur non tantum cum his duobus,
sed cum omnibus. Lex comprehendit
eum & conclusit, ita mors, peccatum,
Diabolus, infernus habent & damnant
eum tanquam sacrilegum. Quid autem
fit: resurgens a morte audiunt, Ego sum
Filius Dei, sum innocens & iustus, sedu-
xisti Adam in Paradiso, suscepi peccata
totius humani generis in me, & feci me
uictimam pro eis. Quid habes iuris in
me: Nesciui te esse Filium Dei, sed ol-
fecisti, quod innocens sim & Dei Filius,
ut in Euangelio cogitur fatetur iustum
& sanctum, cum dicit, Quid nobis te-
cum, &c. Quare ergo occidis me: puta-
bam te

batu te similem Iohanni Baptistæ, aut
alij sancto Prophetæ, sic ars artem fallit:
Ibi cogitur dicere Satan & Mors. Nos
peccauimus, accusauimus innocentem
personam, occidimus infontem. Ego
lex Filium Dei similem feci cœteris la-
tronibus. Audias igitur te uicissim dam-
natam, & fatearis te innocentem occi-
disse. Sicut iam non solum peccaueris
in personam innocentem, sed in Filium
Dei. Sic mors sese occidit, Diabolus sese
strangulauit, infernus sese spoliauit. Hoc
est quod dicit Esaias cap. 49. filios tuos
saluabo, & hostes cibabo suo sangui-
ne. Diabolus, mors, peccatum seipsas
consumunt, quia damnabiles in con-
spectu DEI suo ipsorum iudicio &
sententia. Ergo nec nos possunt in Chri-
sto occidere, qui in Christum credimus.
Ista uictoria per Christum parata mira-
bile opus in incarnatione Christi, quod
est ineffabile donum, inenarrabile con-
siliu, nisi quantum pro confirmanda
fide & æterna uita, tamen de eo loquen-
dum est.

Et peccata multorum tulit.

L

Semper

Semper idem repetit, reputatus pro
scelerato, peccator, portat iniquita-
tes omnes, uerum est, Sed Esaias di-
cit, Est mirabilis peccator, in hoc quod
est peccator, portat non sua peccata, sed
aliorum. Hoc non faciunt alij homines.
Omnes homines sunt iusti, nullum pec-
catum, aut mors in nobis est. Solus filius
Dei est peccator, sceleratus, reus mortis,
sub potestate Diaboli & inferni, & præ-
ter ipsum nemo alius. Ergo iam non in
nos ipsos intueamur & consideremus
peccata. Sed tanquam nihil de ijs scien-
tes, conuertamus nos ad hunc singula-
rem Michael, id est, quendam qui est si-
cut Dominus, in hunc credimus, scimus
eum nostra peccata tulisse, nec solum
hoc, sed etiam ex morte resurrexisse, as-
cendisse ad coelos, & sedere ad dextram
patris, & effundere Spiritum S. & facere
omnes sanctos, iustos, dare uitam & iu-
sticiam. Hoc uidendo nihil uides pec-
catorum, fuit reputatus inter scelera-
tos, resurrexit pro nobis. Sic iam in
Christo & in nobis credentibus nullum
est peccatum. In carne quidem nondum
est prorsus expurgatum, Tamen non
imputat

imputatur, Rom. 8. Sed capitale no-
strum & principalis pars est Christus ip-
se, in quo prorsus sine peccato & morte
erimus corporaliter, cum uermes iam
hanc mortem, peccatum & miseriam
corporis nostri consumpserunt.

Addit iam Esaias ut uideamus alie-
na non sua peccata eum portare. Et
quod ista mirabilia opera facit, non
propter nostram iusticiam, sed propter
suam passionem, ideoq; aliquoties eam
repetijt, Neq; id sine graui causa facit.
Ideo enim facit ut sciamus hoc fuisse
Dei consilium, nos non iustificari no-
stris operibus, uirtutibus, lege, sed sola fi-
de huius Christi. Vidit Esaias Iudaicæ
gentis gloriationem contra hanc do-
ctrinam de lege, templo, sacerdotio, ideo
toties repetit propter peccata nostra per-
cussum, &c. Videmus quantum negocij
sit in politica cum iusticia illa legali, &
iuristarum, non quod mala sit, quia lex
bona, sed legitime utenti. Abusus ma-
lus est, quia in iusticia & sapientia glo-
riatur Hypocrita, tanquam in re, quæ
etiam coram Deo ualeat. Ideo dicit,

L 2

Quis

Quis credit: quam pauci, non sapientes,
iusti, magni, sed stulti peccatores, publi-
cani, Sic mundus tantum quærit, & ni-
titur sua iusticia formali, parta suis uiri-
bus, quamuis ea est, etiam satis exigua &
infirmata, & opponit quæcumq; potest
dicta de operibus, Date eleemosinam, &
omnia erunt munda. Item, redime pec-
cata tua eleemosina. Daniel 4. ut has &
similes sententias Esaiæ de Christo euer-
tat, & statuatur suas iusticias, satisfacere
pro peccatis, nec solum pro suis, sed eti-
am aliorum, deuorantes peccata mundi
tanquam ille agnus Dei.

Ista docuimus contra Esaiam, uerba
etiam cum legebamus in templis & hoc
fecimus promittentes nos primum pro
nostris peccatis satisfacere, deinde pro
peccatis mundi, neglectis his clarissimis
solibus & uibrantibus fulminibus, qui-
bus dicitur, omnes esse peccatores, nul-
lum iustum, solum Christum iustum &
uictorem peccati. Huc ergo respicias,
quando uis peccatum uincere quasi nul-
lum sit peccatum in mundo, nisi huius
Agni Dei, qui portat totius mundi pec-
cata.

Et pro

Et pro transgressoribus ro-
gauit

Etiam hic textus est contra Iudeos.
Tantas iniurias tulit, peccatum non
fecit, innocentissimus plectitur, in-
nocentissimus effudit sanguinem. Et ta-
men reputatur omnium iudicio tan-
quam sediciosus, hoc ualde dolet, & ta-
men non est cupidus uindictæ, cor eius
non cogitat de hac re, non maledicit,
non optat crucifigentes se damnari aut
puniri hoc ipso teterrimo peccato, sed
hoc etiam condonat. Hanc reciprocati-
onē peccatorū in sese fecit non solū om-
nium peccatorum quæ sunt mundi, sed
etiam illorum qui ipsum crucifigunt, si-
cut inquit Lucae 23. Pater dimitte illis
quia nesciunt quid faciunt. Hoc non est
humanum, aut consuetudo mundi, ubi
moriuntur cum indignatione & uoto
saltem ulciscendi. Sed hic filius Dei ali-
ter se gerit orans pro crucifixoribus, ut
ait Euangelista, cor eius plenum est cha-
ritate, misericordia, lenitate. Est mansue-
tus & mitis, optime cogitat & uult
eis. Quo enim magis oderunt eum,

ſæuiunt, uenenatiora corda habent, eo
magis dulceſcit in corde erga eos. Quis
autem credit hoc. Haſtenus de 53. capite
Eſaiæ, agamus Deo patri Domini ac re-
demptoris noſtri Ieſu Chriſti gratias,
& petamus ardentibus uotis, ut
confirmet Deus quod dedit
& operatus eſt in no-
bis, A M E N,

Amen,

*


MAGDEBURGAE EX
officina Typographica Mi-
chaelis Lottheri.


[16 32 180]

20
is
te
e-


X


















ULB Halle

3

000 241 962



94 A 9247

I. Knoake 901


SS + 1 w. BU.

II. ohne Titel

Bearbeitung 23

BFF 8





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

ENARRA=

IO 53. CAPITIS ESA=

prophetæ ex prælectionibus

euerendi patris D. Martini

utheri, summa fide & diligen=

tia collecta per M. Georgium

Rorarium, anno 1544. & nūc

(hoc 1550, anno) primum in

lucem ædita.

MPRESSVM MAGDE=

burgi per Michaelem

Lottherum.

1550